4/6

SEDULIUS, AVITUS,
DRACONTIUS.
500 AD.

POETÆ
ECCLESIASTICI.

SEDULIUS,

BELISARIUS, LIBERIUS, HONORIUS, AVITUS, PROSPERUS, ARATOR, LACTANTIUS, DRACONTIUS.

CAII CÆLII

SEDULII,

BELISARII, LIBERII, HONORII, AVITI, PROSPERI, ARATORIS, LACTANTII ET DRACONTII

OPERA.

CAMERACI

SUMPTIBUS ET TYPIS A. F. HUREZ.

M. DCCC. XXVI.

SEDULIUS.

SEDULIUS.

DE C. C. SEDULIO.

Caius Cælius Sedulius præsbyter, natione Scotus, Hildeberti Scotorum archiepiscopus ab ineunte ætate discipulus, vir in divinis scripturis exercitatus, et in secularibus litteris eruditissimus, carmine excellens et prosa, amore discendi Scotiam relinquens, venit in Franciam: deinde Italiam perlustravit et Asiam: postremo Achaiæ finibus excedens, in urbe Roma mirabili doctrina clarus effulsit: hic tandem, ut Sigebertus scripsit, episcopus ordinatus fuit, sed ecclesiam vel urbem ubi, non exprimit. Claruit sub Theodosio, anno CDXXX.

CÆLII

SEDULII

CARMEN PASCHALE.

PRÆFATIO.

PASCHALES quicunque dapes conviva requiris,
 Dignatus nostris accubitare toris,
Pone supercilium, si te cognoscis amicum,
 Ne quæras opus hic codicis artificis:
Sed modicæ contentus adi solemnia mensæ,
 Plusque libens animo, quam satiare cibo.
At si magnarum caperis dulcedine rerum,
 Divitiasque magis deliciosus amas,
Nobilium nitidis doctorum vescere cœnis,
 Quorum multiplices nec numerantur opes.
Illic invenies, quidquid mare nutrit edendum,
 Quidquid terra creat, quidquid ad astra volat;
Cerea gemmatis flavescunt mella canistris,
 Collucentque suis aurea vasa favis.
At nos exiguum de paupere carpsimus horto,
 Rubra quod appositum testa ministrat, olus.

AD THEODOSIUM AUGUSTUM DEDICATIO.

Romulidum ductor, clari lux altera solis,
Eoum qui regna tenes moderamine justo,
Spes orbis, fratrisque decus; dignare Maronem
Mutatum in melius, divino agnoscere sensu,
Scribendum famulo quem jussisti. Hic tibi mundi
Principium formamque poli, hominemque creatum,
Expediet limo: hic Christi proferet ortum,
Insidias regis, magorum præmia, doctos
Discipulos, pelagique minas, gressumque per æquor.
Hic fluctum famulare jugum, vitamque reductam
Unius crucis auxilio, redituinque sepultæ
Mortis, et ascensum pariter sua regna petentis.
Hæc relegas servesque diu, tradasque minori
Arcadio: hæc ille suo generi: hæc tua semper
Accipiat doceatque suos augusta propago.

CÆLII

SEDULII

CARMINIS PASCHALIS

LIBER PRIMUS.

Cum sua gentiles studeant figmenta poetæ
Grandisonis pompare modis, tragicoque boatu;
Ridiculove Getæ, seu qualibet arte canendi
Sæva nefandarum renovent contagia rerum,
Et scelerum monumenta canant, rituque magistro
Plurima Niliacis tradant mendacia biblis:
Cur ego Davidicis assuetus cantibus odas
Chordarum resonare decem, sanctoque verenter
Stare choro, et placidis cœlestia psallere verbis,
Clara salutiferi taceam miracula Christi?
Cum possim manifesta loqui, Dominumque tonantem
Sensibus, et toto delecter corde fateri,
Qui sensus et corda dedit, cui convenit uni
Facturam servire suam, cui jure perenni
Arcibus æthereis una est cum patre potestas,
Par splendor, communis apex, sociale cacumen,
Æquus honor, virtus eadem, sine tempore regnum,

Semper principium, sceptrum juge, gloria consors,
Majestas similis: hæc est via namque salutis,
Hæc firmos ad dona gradus paschalia ducit.
Hæc mihi carmen erit: mentes huc vertite cuncti.
Hanc constanter opem læsis adhibete medullis,
Quos lethale malum, quos vanis dedita curis
Attica Cecropii sepit doctrina veneni,
Sectantesque magis vitam spirantis odorem
Legis, Athenæi pædorem linquite pagi.
Quid labyrintheo Thesidæ erratis in antro,
Cæcaque Dædalei lustratis limina tecti?
Labruscam placidis quid adhuc præponitis uvis,
Neglectisque rosis, saliuncam sumitis agri?
Quid lapides atque æra coli, quid fana profanis
Proderit, et mutis animas damnare metallis?
Parcite pulverei squalentia jugera campi,
Et steriles habitare plagas, ubi gignere fructum
Arida nescit humus: nec de tellure cruenta
Livida mortiferis vellatis toxica succis,
Tartareo damnata cibo: sed amœna vireta
Florentum semper nemorum, sedesque beatas
Per latices intrate pios, ubi semina vitæ
Divinis animantur aquis, et fonte superno
Lætificata seges spinis mundatur ademptis,
Ut messis queat esse Dei, mercisque futuræ
Maxima centenum cumulare per horrea fructum.
Omnipotens æterne Deus, spes unica mundi,
Qui cœli fabricator ades, qui conditor orbis,
Qui maris undisonas fluctu surgente procellas
Mergere vicinæ prohibes confinia terræ,

Qui solem radiis, et lunam cornibus imples,
Inque diem ac noctem lumen metiris utrumque;
Qui stellas numeras, quarum tu nomina solus,
Signa, potestates, cursus, loca, tempora nosti,
Qui diversa novam formasti in corpora terram,
Torpentique solo viventia membra dedisti;
Qui pereuntem hominem vetiti dulcedine pomi
Instauras meliore cibo, potuque sacrati
Sanguinis infusum depellis ab angue venenum;
Qui genus humanum (præter quos clauserat arca)
Diluvii rapida spumantis mole sepultum
Una iterum de stirpe creas, ut mystica virtus,
Quod càrnis delicta necant, hoc præsule ligno
Monstraret liquidas renovari posse per undas;
Totum namque lavas uno baptismate mundum:
Pande salutarem, paucos quæ ducit in urbem,
Angusto mihi calle viam, verbique lucernam
Da pedibus lucere meis, ut semita vitæ
Ad caulas me ruris agat, qua servat amœnum
Pastor ovile bonus, qua vellere prævius albo
Virginis agnus ovis, grexque omnis candidus intrat;
Te duce, difficilis non est via, subditur omnis
Imperiis natura tuis: rituque soluto
Transit in adversas jussu dominante figuras.
Si jubeas mediis segetes arere pruinis,
Messorem producet hiems: si currere mustum
Vernali sub sole velis, florentibus arvis
Sordidus impressas calcabit vinitor uvas,
Cunctaque divinis parebunt tempora dictis.
Indicio est antiqua fides, et cana priorum

Testis origo patrum, nullisque abolenda per ævum
Temporibus constant virtutum signa tuarum.
Ex quibus audaci perstringere pauca relatu
Vix animis committo meis, silvamque patentem
Ingrediens, aliquos nitor contingere ramos.
Nam centum licet ora movens, vox ferrea clamet,
Centenosque sonos humanum pectus anhelet,
Cuncta quis expediet, quorum nec lucida cœli
Sidera, nec bibulæ numeris æquantur arenæ?
Primus ab usque chao meritis vivacibus Enoch
Multa per innumeros jam secula contigit annos,
Natura perdente modum, quem jure creandi
Terra tulit; genitum sed mors miratur ademptum.
Saucia jam vetulæ marcebant viscera Sarræ,
Grandævo consumpta situ, prolemque negabat
Frigidus annoso moriens in corpore sanguis:
Cum, seniore viro, gelidi præcordia ventris
In partum tumuere novum, tremebundaque mater
Algentes onerata sinus, spem gentis opimæ
Edidit, et serum suspendit ad ubera natum.
Mactandumque Deo pater obtulit, at sacer ipsam
Pro pueri jugulis aries mactatur ad aram.
O justi mens sancta viri? pietate remota,
Plus pietatis habens, contempsit vulnera nati,
Amplexus præcepta Dei, typicique cruoris
Auxilio ventura docet, quod sanguine fuso
Humana pro gente pius occumberet agnus.
Loth Sodomæ fugiente chaos dum respicit uxor
In statuam mutata salis stupefacta remansit,
Ad pœnam conversa suam: quia nemo retrorsum,

Noxia contempti vitans discrimina mundi,
Aspiciens, salvandus erit, nec debet arator
Dignum opus exercens, vultum in sua terga referre.
Ignibus innocuis flagrans apparuit olim
Non ardens ardere rubus, nec juncta calori
Materies alimenta dabat, nec torrida vivens
Sensit damna frutex, sed amici fomitis æstu
Frondea blanditæ lambebant robora flammæ.
Mitis in immitem virga est animata draconem,
Per flexos sinuata globos, linguisque trisulcis
Squamea colla tumens, inimicos ore chelydros
Sorbuit, et proprii redit in virgulta rigoris.
Pervia divisi patuerunt cærula Ponti
In geminum revoluta latus, nudataque tellus
Cognatis spoliatur aquis, ac turba pedestris
Intrat in absentis pelagi mare, perque profundum
Sicca peregrinas stupuerunt marmora plantas.
Mutavit natura viam, mediumque per æquor
Ingrediens populus, rude jam baptisma gerebat:
Cui dux Christus erat; clamat nam lectio, multas
Vox Domini super exstat aquas; vox denique verbum est,
Verbum Christus adest, geminæ qui consona legis
Testamenta regens, veterem patefecit abyssum,
Ut doctrina sequens planis incederet arvis.
Quid referam innumeras cœlesti pane catervas
Angelicos sumpsisse cibos, nimbisque superni
Nectaris, aeria populum dulcedine pastum,
In pluviis habuisse dapes, et in imbribus escas?
Rursus in exustis sitiens exercitus arvis,
Qua nimium loca sicca diu, qua terra negatis

Ægra jacebat aquis, qua spes ablata bibendi,
Vivendique fuit, subitas arente metallo
Hausit aquas, sterilique latex de rupe cucurrit,
Et jejuna novum vomuerunt marmora potum.
His igitur jam sacra tribus dans munera rebus,
Christus erat panis, Christus petra, Christus in undis.
Angelicis tremefacta minis affatur asella
Sessorem per verba suum, linguaque rudenti
Edidit humanas animal pecuale loquelas.
Sol stetit ad Gabaon, mediique cacumine cœli
Fixit anhelantem dilato vespere lucem,
Insolitus frenare diem, nec luna cucurrit
Ordine pigra suo, donec populantibus armis,
Fervidus ingentem gladius consumeret hostem,
Conjurante polo : jam tunc famulata videbant
Sidera venturum, præmisso nomine, Iesum.
Heliam corvi quondam pavere ministri,
Præbentes sine more dapes, alesque rapinis
Deditus, atque avido saturans cava guttura rostro,
Tradidit illæsam jejunis morsibus escam.
Nunc bonus Heliæ, qui perfidus antea Noe,
Abluit in terris, quidquid deliquit in undis.
Plenus at ille Deo, postquam miracula terris
Plura dedit, meritisque suis succedere dignum
Heredem propriæ fecit virtutis amicum,
Aurea flammigeris evectus in astra quadrigis,
Qua levis æthereos non exprimit orbita sulcos,
Sidereum penetravit iter, curruque corusco
Dexteriora petens, spatio majore triumphum
Duxit, et humani metam non contigit ævi.

Quam bene fulminei prælucens semita cœli
Convenit Heliæ! merito qui, et nomine fulgens,
Hac ope dignus erat: nam si sermonis Achivi
Una per accentum mutetur littera, sol est.
Ultima labentis miseratus tempora lucis,
Ter quinos quondam regi Deus addidit annos,
Usus jure suo, patefactaque limina claudens
Mortis, ab occasu vitam convertit in ortum.
Jonas puppe cadens, ceto sorbente voratus,
In pelago non sensit aquas, vitale sepulcrum,
Ne moreretur, habens, tutusque in ventre ferino,
Depositum, non præda fuit, vastumque per æquor
Venit ad ignotas inimico remige terras.
Cum, spirante Deo, Babylonia sacra negarent
Tres una cum mente viri, durumque subirent
Exitium sævi Chaldæa lege tyranni,
Cujus Achæmeniam rabies accenderat iram
Plus fornace sua, medios truduntur in ignes,
Nil urente rogo, tantoque ardore calentes
Cordis, imagineæ vincunt incendia pœnæ
Igne animi. O quanta est credentum gloria! flammis
Ardentis fidei restincta est flamma camini.
Digna sed immitem mox perculit ultio regem.
Nam quod ab humana vecors pietate recessit,
Agrestes pecudum consors fuit ille per herbas,
Aulica depasto mutans convivia fœno.
Pronus ab amne bibit, septenaque tempora lustrans,
Omnibus hirsutus silvis, et montibus errat.
Nec minus et Darii furuerunt jussa tyranni.
Ecce etenim sceleri scelus addidit ira furentis,

Hebræumque decus Daniel decernitur insons
Jejunis cibus esse feris; sed bellua justo
Mitis facta viro, sanctos ne læderet artus,
Cœpit amare famem, rabies mollita furorem
Deposuit, sævisque in faucibus ira quievit,
Et didicere truces prædam servare leones.

Dic ubi sunt, natura, tuæ post talia leges?
Quis toties tibi jura tulit? quis tartara jussit
Translatum nescire virum, sterilemque marito
Fecundavit anum, sacram præcepit ad aram
Sponte venire pecus, muliebres transtulit artus
In simulacra salis: ramos incendia passos
Non ardere dedit: virgultum solvit in anguem:
Per pelagus siccavit iter: mirabile nimbis
Manna pluit, saxo latices produxit ab imo:
Quadrupedem fari pleno sermone coegit:
Suspensis rapidas elementis distulit horas:
Per volucres hominem pasci dedit, atque coruscis
In cœlum transvexit equis: jam morte gravato
Adjecit tria lustra viro: prædonis in ore
Naufragio fundavit opem: flagrante camino
Servavit sub rore pios: per pascua regem
Pavit, ut hirsutam pecudem, rictusque leonum,
Instimulante fame, jussit nescire furorem?
Nempe creatori (cujus quæcunque videntur
Seu quæcunque latent, et rerum machina sermo est)
Omne suum famulatur opus, sequiturque jubentis
Imperium, quocunque trahit sententia nutu.

Heu! miseri, qui vana colunt, qui corde sinistro
Relligiosa sibi sculpunt simulacra, suumque

Factorem fugiunt, et, quæ fecere, verentur.
Quis furor est, quæ tanta animos dementia ludit?
Ut volucrem, turpemque bovem, tortumque draconem,
Semihominemque canem supplex homo plenus adoret?
Ast alii solem, cæcatis mentibus acti,
Affirmant rerum esse patrem, quia rite videtur
Clara serenatis infundere lumina terris,
Et totum lustrare polum; cum constet ab istis
Motibus, instabilem rapidis discursibus ignem
Officium, non esse Deum, quique ordine certo
Nunc oritur, nunc occiduas demissus in oras
Partitur cum nocte vices, nec semper ubique est,
Nec lumen fuit ille manens in origine mundi,
Cum geminum sine sole diem novus orbis haberet.
Sic lunæ quoque vota ferunt, quam crescere cernunt,
Ac minui, stellisque litant, quæ luce fugantur.
Hic laticem colit, ille larem, sed jungere sacris
Non audent inimica suis, ne lite propinqua
Aut rogus exiguas desiccet fortior undas,
Aut validis tenues moriantur fontibus ignes.
Arboreis alius ponit radicibus aras,
Instituitque dapes, et ramos flebilis orat,
Ut natos, caramque domum, dilectaque rura,
Conjugisque fidem, famulos, censumque gubernent.
Lignee, ligna rogas, surdis clamare videris,
A mutis responsa petis, quæ jura domorum
Hac ratione regunt, si cæsa securibus actis
Ardua pendentis sustentent culmina tecti,
Aut subjecta focis dapibus famulentur edendis.
Nonnulli venerantur olus, mollesque per hortos

Numina sicca rigant, verique hac arte videntur
Transplantatorum cultores esse deorum.
Plura referre pudet, sanctoque in carmine longum
Vel damnare nefas, ne mollia sentibus uram
Lilia, purpurei neu per violaria campi
Carduus, et spinis surgat paliurus acutis.
Jam satis humanis erroribus addita monstra
Risimus, aut tales potius deflevimus actus.
Nunc cœptam juvat ire viam, montemque per altum
Nitentes firmare gradus; properemus in urbem,
Libertatis opem, radians ubi regia fulvis
Emicat aula tholis, ubi dantur digna petenti,
Quærenti spes certa manet, claustrisque remotis,
Pervia pulsanti reserantur limina cordi.
Hic est ille lapis reprobus, quem vertice gestat
Angulus, atque oculis præbet miracula nostris,
Est leve cujus onus, cujus juga ferre suave est.
Per digesta prius veteris miracula legis
Rettulimus, sancti conjuncto spiritus actu
Quæ genitor socia nati virtute peregit:
Per digesta rudis necnon miracula legis,
Dicemus, sancti conjuncto spiritus actu
Quæ natus socia patris virtute peregit.
Semper ut una manens deitatis forma perennis,
Quod simplex, triplicet, quodque est triplicabile, simplet.
Hæc est vera fides, hanc sprevit habere salutem
Arrius infelix, qui curva per avia rectum
Flectere nisus iter, foveam delapsus in atram
Corruit, et tetri mersus petit ima profundi:

Tam vacuus sensu, justæ quam tempore pœnæ,
Visceribus fusis, vacuus quoque ventre remansit.
Demens, perpetui qui non imitanda parentis
Jura, caducorum gradibus simulavit honorum.
Namque homines inter natum genitore minorem
Lex carnalis habet, quoniam pater ipse parentis
Filius ante fuit: mox et qui filius est nunc,
Afforet esse pater; sic per genus omne nepotum
It nova progenies, et avi numerantur avorum.
At Dominus, verbum, virtus, sapientia, Christus,
Et totum commune Patris, de lumine lumen,
De solo solus, cui nec minus est Patre quidquam,
Nec, quo crescat, habet, genitus, non quippe creatus,
Ipse est principium: nam sicut clarus habetur
In genitore manens, genitor quoque clarus in ipso
Permanet, et rerum caput est Deus unus ubique.
Non quia qui summus pater est, et filius hic est,
Sed quia quod summus pater est, et filius hoc est.
Sic ait ipse docens: Ego in Patre, et Pater in me est.
Rursus: Ego, atque Pater unum sumus. Arrius unum
Debet scire, sumusque Sabellius esse fatendum.
Iste fidem trinam, ast hic non amplectitur unam.
Ambo errore pares, quanquam diversa sequantur;
Qualiter assueti varias producere sectas,
Impugnant sua dicta viri, qui brachia nudis
Ostentant exerta humeris, nil tradere docti,
Sed tantum certare cati, prudentia quorum
Stulta jacet, quia vana Deo est sapientia mundi.
Hic loquitur nimis, ille tacet, hic ambulat, hic stat;
Alter amat fletus, alter crispare cachinnum,

Diversisque modis par est vesania cunctis.
Interea dum rite viam sermone levamus,
Spesque, fidesque meum comitantur in ardua gressum,
Blandius ad summam tandem pervenimus arcem.
En signo sacrata crucis vexilla coruscant:
En regis pia castra micant, tuba clamat herilis,
Militibus sua porta patet; qui militat, intret:
Janua vos æterna vocat, quæ janua Christus.
Aurea perpetuæ capietis præmia vitæ;
Arma quibus Domini tota virtute geruntur,
Et fixum est in fronte decus. Decus, armaque porto,
Militiæque tuæ, bone rex, pars ultima resto.
Hic proprias sedes, hujus mihi mœnibus urbis
Exiguam concede domum, tuus incola sanctis
Ut merear habitare locis, alboque beati
Ordinis extremus conscribi in secula civis.
Grandia posco quidem: sed tu dare grandia nosti,
Quem magis offendit, quisquis sperando tepescit.
Christe, fave votis, qui mundum in morte jacentem
Vivificare volens, quondam terrena petisti
Cœlitus, humanam dignatus sumere formam,
Sic aliena gerens, ut nec tua linquere posses.
Hoc Matthæus agens, hominem generaliter implet,
Marcus ut alta fremit vox per deserta leonis,
Jura sacerdotis Lucas tenet ore juvenci:
More volans aquilæ, verbo petit astra Joannes;
Quatuor hi proceres una te voce canentes,
Tempora ceu totidem, latum sparguntur in orbem.
Sic et Apostolici semper duodenus honoris
Fulget apex numero, menses imitatus et horas,

Omnibus ut rebus totus tibi militet annus.
Hinc igitur veteris recolens exordia mortis,
Ad vitam properabo novam, lacrymasque serendo,
Gaudia longa metam : nam qui deflemus in Adam,
Semina mittentes, mox exsultabimus omnes,
Portantes nostros, Christo veniente, maniplos.

CÆLII

SEDULII

CARMINIS PASCHALIS

LIBER SECUNDUS.

Expulerat primogenitum sævissimus anguis
Florigera de sede virum, blandique saporis
Illecebris lethum misero portarat amarum.
Nec solus meritam præsumptor senserat iram
Mortali sub lege jacens, sed prorsus ab ipso
Humanum simul omne genus. Heu! noxia conjux,
Noxia tu conjux magis, an draco perfidus ille?
Perfidus ille draco, sed tu quoque noxia conjux.
Proh dolor! æterni fuerant duo. Crescere postquam
Cœpit origo, perit, clademque a semine sumpsit.
Quid numerosa dies, quid tempore proderat illo
Cernere nongentos ultra feliciter annos,
Progeniemque senum decimam spectare nepotum,
Jamque suum nescire genus, cum victa supremis
Cursibus, extremæ sors irreparabilis horæ,
Sera licet, ventura foret, longumque per ævum
Vita brevis nil esse diu cum fine doleret?

Nec reducem spes ferret opem, primique sepulcrum
Terrigenæ cæca sorberet fauce nepotes :
Ni pius ille sator, culpas ignoscere promptus,
Reddere difficilis, sua ne factura periret,
Quæque Deo similis vivens astabat imago,
Dissimilis de morte foret, veniale misertus
Instauraret opus, pomisque vetaret acerbis,
Quæ mandere patres, natorum horrescere dentes,
Donaretque suis semper placatus, ut unde
Culpa dedit mortem, pietas daret inde salutem.
Et velut e spinis mollis rosa surgit acutis,
Nil, quod lædat, habens, matremque obscurat honore:
Sic Evæ de stirpe sacra veniente Maria,
Virginis antiquæ facinus nova virgo piaret.
Ut quoniam natura prior vitiata jacebat
Sub ditione necis, Christo nascente, renasci
Posset homo, et veteris maculam deponere carnis.
  Hæc ventura senes postquam dixere Prophetæ,
Angelus intactæ cecinit properata Mariæ,
Et dictum comitata fides, uterumque puellæ
Sidereum mox implet onus, rerumque creator
Nascendi sub lege fuit; stupet innuba tensos
Virgo sinus, gaudetque suum paritura parentem.
  Jamque novem lapsis, decimi de limine mensis
Fulgebat sacrata dies, cum virgine fœta
Promissum complevit opus : Verbum caro factum,
In nobis habitare volens; tum maximus infans
Intemerata sui conservans viscera templi,
Illæsum vacuavit iter, pro virgine testis
Partus adest, clausa ingrediens, et clausa relinquens.

Quæ nova lux mundo, quæ toto gratia cœlo?
Quis fuit ille nitor, Mariæ cum Christus ab alvo
Processit splendore novo? Velut ipse decoro
Sponsus ovans thalamo, forma speciosus amœna
Præ natis hominum, cujus radiante figura
Blandior in labiis diffusa est gratia pulchris.
O facilis pietas! ne nos servile teneret
Peccato dominante jugum, servilia summus
Membra tulit Dominus, primique ab origine mundi
Omnia qui propriis vestit nascentia donis,
Obsitus exiguis habuit velamina pannis:
Quemque procellosi non mobilis unda profundi,
Terrarum non omne solum, spatiosaque lati
Non capit aula poli, puerili in corpore plenus
Mansit, et angusto Deus in præsepe quievit.
Salve, sancta parens, enixa puerpera regem,
Qui cœlum, terramque tenet per secula, cujus
Numen, et æterno complectens omnia gyro
Imperium sine fine manet, quæ ventre beato
Gaudia matris habens cum virginitatis honore,
Nec primam similem visa es, nec habere sequentem:
Sola sine exemplo placuisti femina Christo.
Tunc prius ignaris pastoribus ille creatus
Enituit, quia pastor erat, gregibusque refulsit
Agnus, et angelicus cecinit miracula cœtus.
Talia Bethlæis dum signa geruntur in oris,
Eoi venere Magi, sævumque tyrannum
Grandia sollicitis perturbant nuntia dictis,
Judaicis nuper populis Orientis ab axe
Progenitum fulsisse ducem, hoc cœlitus astra,

Hoc stellam radiare novam. Ferus arbiter aulæ
Æstuat Hebrææ, ratus, hunc succedere posse
Mox sibimet, qui primus erat : tunc fronte serena
Nubila mentis habens, clam mandat ubique requiri,
Sicut adorandum, quem tractat fraude necandum.
Quid furis, Herodes? Christum sermone fateris,
Et sensu jugulare cupis, legemque legendo
Negligis, et regi regum tua regna minaris.
Ne tamen insano careant tua nomina facto,
Patrandum sub honore crucis, sed crimine gentis,
Herodes alius, quod tu molire, videbit.
  Ergo alacres summo servantes lumina cœlo
Fixa Magi, sidusque micans regale secuti,
Optatam tenuere viam, quæ lege futura
Duxit adorantes sacra ad cunabula gentes :
Thesaurisque simul pro relligione solutis,
Ipsæ etiam ut possent species ostendere Christum,
Aurea nascenti fuderunt munera regi,
Thura dedere Deo, myrrham tribuere sepulcro.
Cur tria dona tamen? quoniam spes maxima vitæ est
Hunc numerum confessa fides, et tempora summus
Cernens cuncta Deus, præsentia, prisca, futura,
Semper adest, semperque fuit, semperque manebit
In triplici virtute sui. Tunc cœlitus illi
Per somnum moniti contemnere jussa tyranni,
Per loca mutati gradientes devia callis,
In patriam rediere suam. Sic nos quoque sanctam
Si cupimus patriam tandem contingere, postquam
Venimus ad Christum, jam non repetamus iniquum.
  Ergo ubi delusum se comperit, impius iram

Rex aperit, si jure queat rex ille vocari,
Qui pietate caret, propriam qui non regit iram;
Ereptumque gemens facinus sibi, ceu leo frendens,
Cujus ab ore tener subito cum labitur agnus,
In totum movet arma gregem, manditque, trahitque
Molle pecus, trepidæque vocant sua pignora fetæ
Nequidquam, et vacuas implent balatibus auras.
Haud secus Herodes Christo stimulatus adempto,
Sternere collisas parvorum strage catervas
Immerito non cessat atrox. Quo crimine simplex
Túrba perit? cur qui vix dum potuere creari,
Jam meruere mori? Furor est in rege cruento,
Non ratio; primosque necans vagitus, et audens
Innumerum patrare nefas, puerilia mactat
Millia, plangoremque dedit tot matribus unum.
Hæc laceros crines nudato vertice rupit,
Illa genas secuit, nudum ferit altera pugnis
Pectus, et infelix mater (nec jam modo mater)
Orba super gelidum frustra premit ubera natum.
Quis tibi tunc, lanio, cernenti talia sensus?
Quosve dabas fremitus, cum vulnera fervere late
Prospiceres arce ex summa, vastumque videres
Misceri ante oculos tantis plangoribus æquor?
Exstinctisque tamen quamvis infantibus absens,
Præsens Christus erat, qui sancta pericula semper
Suscipit, et pœnas alieno in corpore sentit.
Ast ubi bissenos ætatis contigit annos,
Hoc spatium de carne trahens, ævique meatus
Humana pro parte tulit, senioribus esse
Corde videbatur senior, legisque magistros

Inter ut emeritus residebat jure magister.
Nec mora (quas etenim volitans per tempora mundus
Novit habere moras?) usus majore juventa,
Sex quasi lustra gerens, placidam Jordanis ad undam
Venit, ut acciperet hoc, quod dare venerat ipse.
Hunc Baptista potens ut vidit ab amne Joannes,
Quem matris dum ventre latet, nondumque creatus
Senserat, obstruso jam tunc sermone Prophetes,
Ut muto genitore fluens, cui munera linguæ
Post noni taciturna diu spiramina mensis
Parto redduntur nato, mox prædicat: Agnus
Ecce Dei, veniens peccatum tollere mundi.
Tollere cum dicit, quod non habet, hoc mihi tollit:
Non mala ut ipse gerat, sed ut ipse nocentia perdat.
Qualiter in medias dum lux præclara tenebras
Funditur, et proprio non offuscata sereno
Decutit expulsas illæsis vultibus umbras,
Sic delicta fugans Salvator nostra gerendo
Tersit, et attactu procul evanescere jussit.
Tunc vada torrentum simplex ingressus aquarum,
In se cuncta lavat nostræ contagia vitæ,
Ipse nihil, quod perdat, habens, sanctoque liquentes
Corpore mundavit latices, lymphasque beavit
Gurgitis, et propriis sacravit flumina membris.
Senserunt elementa Deum, mare fugit, et ipse
Jordanis refluas cursum convertit in undas.
Namque Propheta canens, Quidnam est, mare, quod fugis, inquit,
Et tu, Jordanis, retro quia subtrahis amnem?

Ergo ubi flumineum post mystica dona lavacrum
Egrediens, siccas Dominus calcavit arenas,
Confestim patuere poli, sanctusque columbæ
Spiritus in specie Christum vestivit honore,
Mansuetumque docet, multumque incedere mitem,
Per volucrem, quæ felle caret, natoque vocato
Voce Patris, triplici Deus ex ratione probatur,
Quod pater, et natus, quod spiritus est ibi sanctus,
Quo manet indignus, qui non numeraverit unum.
Inde quaterdenis jam noctibus, atque diebus
Jejunum dapibus, sacro spiramine plenum
Insidiis tentator adit, doctusque per artem
Fallaces offerre dapes, Si filius, inquit,
Cerneris esse Dei, dic, ut lapis iste repente
In panis vertatur opem. Miracula tanquam
Hæc eadem non semper agat, qui saxea terræ
Viscera fructiferis animans fecundat aristis,
Et panem de caute creat. Hac ergo repulsus
Voce prius, hominem non solo vivere pane,
Sed cuncto sermone Dei, labefactus, et amens,
Altera vipereis instaurans arma venenis,
Cum Domino montana petit, cunctasque per orbem
Regnorum monstravit opes, Hæc omnia, dicens,
Me tribuente, feres, si me prostratus adores.
Quantum perversus, tantum perversa locutus.
Scilicet ut fragilis regni affectaret honores,
Qui populis æterna parat, monstrumque nefandum
Pronus adoraret, cujus super æthera sedes,
Terra pedum locus est, quem nullus cernit, et omnis
Laudat in excelsis submissa voce potestas.

Christus ad hæc: Tantum Dominum scriptura, Deumque
Jussit adorari, et soli famularier uni.
His quoque deficiens congressibus, audet iniquus,
Ter sese attollens, animo perstare superbo,
Terque volutus humo, fragili confidere bello.
Tunc assumpsit eum sanctam sceleratus in urbem,
Et statuens alti supra fastigia templi,
Si natum genitore Deo tete asseris, inquit,
Impiger e summo demissus labere tecto.
Nam scriptura docet, de te mandasse tonantem,
Angelicis subvectus eas ut tutior ulnis,
Ad lapidem ne forte pedem collidere possis.
O quam cæca gerit nigro sub pectore corda
Mens tenebris obscura suis! hunc ardua templi
Culmina, et erectæ quamvis fastigia pinnæ
Credidit in præceps horrescere, maxima summi
Curvavit qui membra poli, cœlosque per omnes
Vectus in extremæ descendit humillima terræ,
Inferiora petens, sed non excelsa relinquens.
Dixerat, et validi confossus cuspide verbi,
Quod tentare suum Dominumque, Deumque nequiret,
Victoris fugit ora gemens. Tunc hoste repulso,
Cœlicolæ assistunt proceres, cœtusque micantes
Angelici Christo famulantur rite ministri.
Protinus ergo viros ex piscatoribus aptos
Humanas piscari animas, quæ lubrica mundi
Gaudia sectantes, tanquam vaga cærula ponti,
Cæcaque præcipites tranant incerta profundi,
Discipulos jubet esse suos, talesque supernæ

Conciliat vitæ, quos non ventosa loquendi
Gloria, nec vana de nobilitate superbus
Sanguis alat, sed fama tacens, humilique refulgens
Mente nitor cœlo faciat de plebe propinquos.
Namque stulta potens elegit, et infima mundi,
Fortia confringens Deus, et sapientia perdens.
Quinetiam celerem cupiens conferre salutem,
Orandi præcepta dedit, judexque benignus
Indulgenda peti breviter jubet, ut cito præstet,
Sic dicens : Orate patrem, baptismate nostrum,
Jure suum : propriumque homini concessit honorem,
Et, quod solus habet, cunctos permisit habere,
Qui Dominum cœli patrem memoramus, in ipso
Jam fratres nos esse decet, nec origine carnis
Germanum gestare odium, sed spiritus igne
Flagrantes, abolere doli monumenta vetusti,
Atque novum gestare hominem, ne forsan ab alto
Degenerent terrena Deo : cui nos, duce Christo,
Fecit adoptivos cœlestis gratia natos.
Sanctificetur ubi Dominus, qui cuncta creando
Sanctificat, nisi corde pio, nisi pectore casto?
Ut mereamur eum nos sanctificare colendo,
Annuat ipse prior, sicut benedicier idem
Se jubet a nobis, a quo benedicimur omnes.
Adveniat regnum jam, jamque scilicet illud,
Morte vacans, et fine carens, cui nulla per ævum
Tempora succedunt, quia nescit tempus habere
Continuus sine nocte dies : ubi, principe Christo,
Nobile perpetua caput amplectente corona,
Victor opima ferens gaudebit præmia miles.

Hoc jugibus votis, hoc nocte, dieque precemur,
Illius ut fiat cœlo, terraque voluntas,
Qui nusquam vult esse nefas, hostemque nocentem,
Utque polo, sic pellat humo, ne corpora nostra,
Tanquam vile solum, sævus sibi vendicet hydrus;
Sed, qui cuncta fovet, plena pietate redundans
Omnipotens animas pariter conservet, et artus:
Altera pars etenim cœli sumus, altera terræ.
Annonam fidei speramus pane diurno,
Ne mens nostra famem doctrinæ sentiat unquam,
A Christo jejuna suo, qui corpore, et ore
Nos saturat, simul ipse manens verbumque, cibusque.
Dulcia nam Domini nostris in faucibus hærent
Eloquia, exsuperantque favos, atque omnia mella.
Debita laxari qui nobis cuncta rogamus,
Nos quoque laxemus; proprii nam cautio verbi
Spondentes manifesta tenet, graviusque soluti
Nectimur, alterius si solvere vincla negamus;
Incipietque pius decies millena talenta
Dimittens Dominus, si nos affligere propter
Denarios centum conservum senserit ullum,
Tradere confestim tortoribus, inque feroci
Carcere constricti non permittemur abire,
Donec cuncta brevem reddamus adusque quadrantem.
Non quia nos Dominus, lucis via, semita pacis,
In laqueos tentantis agat, sed cum mala nostra
Deserit, ire sinit: nam quisquis retia mundi
Deliciosa sequens, luxus, et gaudia blandæ
Perditionis amat, Deus hunc, virtutis amator,
Linquit, et ingreditur, qua se tentatio ducit.

Ab hac ergo pedem retro faciamus, et arctum
Corde petamus iter, tenuis qua semita monstrat
Ire per angustam regna ad cœlestia portam.
Si cupimus vitare malum, debemus adire,
Sectarique bonum: hic quia liberat, ille trucidat:
Hic alit, ille necat: nam quantum sidera terris,
Ignis aquis, lumen tenebris, concordia bellis,
Vita sepulturis, tantum bona longius absunt
Dissociata malis. Dextrum quicunque, necesse est,
Aut lævum gradiatur iter. Sed dextra bonorum
Semita conspicuos vocat in sua gaudia justos,
Inque tuos, Patriarcha, sinus: at læva malorum
Exercet pœnas, et ad impia tartara mittit.
Ergo agnis, ovibusque Dei est hæc sola voluntas,
Et bona libertas, evadere torva cruenti
Ora lupi, vitaque frui per pascua Christi.

CÆLII

SEDULII

CARMINIS PASCHALIS

LIBER TERTIUS.

Prima suæ Dominus, thalamis dignatus adesse,
Virtutis documenta dedit, convivaque præsens
Pascere, non pasci, veniens, mirabile! fusas
In vinum convertit aquas; amittere gaudent
Pallorem latices, mutavit læta saporem
Unda suum, largita merum, mensasque per omnes
Dulcia non nato rubuerunt pocula musto.
Implevit sex ergo lacus hoc nectare Christus;
Quippe ferax qui vitis erat, virtute colona
Omnia fructificans, cujus sub tegmine blando
Mitis inocciduas enutrit pampinus uvas.
Post Regulus nato quidam moriente rogabat
Flebilis, et supplex Dominum, quo viseret ægrum
Febre laborantem puerum, trepidamque vetaret
Labi animam de sede sua; tunc larga potestas,
Credenti quæ nulla negat, nec dona retardat,
Velocem comitata fidem, sermone salutem

Concedens facili, Vivit jam filius, inquit,
Perge, tuus. Quantum imperii fert jussio Christi!
Non dixit, Victurus erit, sed, Jam quia vivit,
More Dei, qui cuncta prius, quam nata, videndo,
Præteritum cernit, quidquid vult esse futurum.
Inde salutiferis incedens gressibus urbes,
Oppida, rura, casas, vicos, castella peragrans,
Omnia depulsis sanabat corpora morbis.
Ecce autem mediæ clamans ex agmine turbæ
Leprosus poscebat opem, variosque per artus
Plus candore miser, Si vis, Domine, inquit, ab istis
Me maculis mundare potes. Volo, Christus ut inquit,
Confestim redit una cutis, proprioque decore
Læta peregrinam mutarunt membra figuram,
Inque suo magis agnitus est vix ille colore.
Forte Petri validæ torrebat lampadis æstu
Febris anhela socrum, dubioque in funere pendens
Saucia sub gelidis ardebat vita periclis,
Immensusque calor frigus lethale coquebat.
At postquam fessos Domini manus attigit artus,
Igneus ardor abit, totisque exstincta medullis,
Fonte latentis aquæ cecidit violentia flammæ.
Quinetiam rabidas nigrorum depulit iras
Spirituum, ne flatus atrox laceraret iniqua
Peste homines, operisque Dei vexaret honorem,
Quem norat non esse Dei; passimque catervas,
Ut pius, innumeras pulso languore saluti
Reddidit, et varia populos a clade levavit.
Inde marina petens, arentes gressibus algas
Pressit, et exiguæ conscendens robora cymbæ,

Æquoreas intravit aquas; Dominumque sequentes
Discipuli, placido librabant carbasa ponto.
Jam procul a terris fuerat ratis, actaque flabris
Sulcabat medium puppis secura profundum,
Cum subito fera surgit hiems, pelagusque procellis
Vertitur, et trepidam quatiunt vada salsa carinam.
Perculerat formido animos, seseque putabant
Naufraga littoreis jam tendere brachia saxis.
Ipse autem placidum carpebat pectore somnum,
Majestate vigil, quia non dormitat in ævum,
Qui regit Israel, neque prorsus dormiet unquam.
Ergo ubi pulsa quies, cunctis clamantibus una
Voce simul, Miserere citus, miserere, perimus,
Auxilio succurre pio: nil vota moratus,
Exsurgens Dominus, validis mitescere ventis
Imperat, et dicto citius tumida æquora placat.
Non erat illa feri pugnax audacia ponti,
In Dominum tumidas quæ surgere cogeret undas,
Nec metuenda truces agitabant flamina vires;
Sed lætum exsiliens Christo mare, compulit imum
Obsequio fervere fretum, rapidoque volatu
Moverunt avidas ventorum gaudia pennas.
Interea placido transvectus marmore, puppim
Liquerat, et medios lustrabat passibus agros;
Cum procul e tumulis gemino stridore ruentes
Prosiluere viri, quos non mala dæmone pauco,
Sed legio vexabat atrox, nexuque cruento
Sæva catenatis gestabant vincla lacertis.
Angebat quoque pœna duplex, Heu dira furoris
Conditio! qui vim patitur, magis ille ligatur.

Tunc Domini præcepta tremens, exire jubentis,
Spiritus infelix hominem non audet adire,
Effigiem repetens, quam Christum cernit habere.
Sed pecus, immunda gaudens lue, semper amicum
Sordibus, atque olido consuetum vivere cœno,
Pro meritis petiere suis, tristesque phalanges
Porcinum tenuere gregem : niger, hispidus, horrens
Talem quippe domum dignus fuit hospes habere.
Hinc alias Dominus pelago delatus in oras,
Intravit natale solum, quo corpore nasci
Se voluit, patriamque sibi pater ipse dicavit.
Ecce aderant, vivum portantes, jamque cadaver,
Bis bina cervice viri, lectoque cubantem
Vix hominem, cui vita manens sine corporis usu
Mortis imago fuit, resolutaque membra jacebant
Officiis deserta suis, fluxosque per artus
Languida demissis pendebant vincula nervis.
Hunc ubi virtutum Dominus conspexit egentem
Robore, peccatis primum mundavit ademptis,
Quæ generant augmenta malis : misero inde jacenti,
Surge, ait, et proprium scapulis attolle grabatum,
Inque tuam descende domum. Nil jussa moratus,
Cui fuerat concessa salus, vestigia linquens
Tandem aliena, suis lætatur vadere plantis,
Vectoremque suum grata mercede revexit.
Principis interea synagogæ filia, clauso
Functa die, superas moriens amiserat auras.
At genitor, cui finis edax spem prolis adultæ
Sustulerat, sanctos Domini lacrymansque, gemensque
Corruit ante pedes, vix verba precantia fari

Singultu quatiente valens, Miserere parentis
Orbati, miserere senis, modo filia, dicens,
Unica, virgineis nec adhuc matura sub annis,
Occidit, et misero patris mihi nomen ademit.
Affer opem, lapsamque animam per membra refunde,
Qui totum præstare potes. Hæc inquit: et auctor
Lucis ad exstinctæ pergebat funera, gressum
Vix populo stipante movens: permixtaque turbis
Ibat inundantem mulier perpessa cruorem,
Quæ magnas tenuarat opes, ut sanior esset,
Exhaustaque domo, nec proficiente medela,
Perdiderat proprium pariter cum sanguine censum.
Ast ubi credentis jam sano in pectore cœpit
Dives adesse fides, mediis immersa catervis,
Nititur aversi vel filum tangere Christi:
Posteriusque latens, subitam furata salutem
Extrema de veste rapit, siccisque fluentis
Damnavit patulas audax fiducia venas.
Senserat ista Deus, cujus de fonte cucurrit,
Quod virtus secreta dedit, furtumque fidele
Laudat, et egregiæ tribuit sua vota rapinæ.
  Ventum erat ad mœsti lugentia culmina tecti,
Deflentemque domum, moriens ubi virgo jacebat
Extremum sortita diem, trepidusque tumultus
Omnia lamentis ululans implebat amaris,
Funereosque modos cantu lacrymante gemebant
Tibicen, plangorque frequens confuderat ædes.
Ponite sollicita conceptos mente dolores,
Hic sopor est, Salvator ait, nec funus adesse
Credite, nec somno positam lugete puellam.

Dixerat, et gelida constrictum morte cadaver
Spiritus igne fovet, verboque immobile corpus
Suscitat, atque semel genitam bis vivere præstat.
Obstupuere animis, inopinaque vota parentes
Aspiciunt, versisque modis per gaudia plaudunt.
Inde pedem referens, geminos videt ecce sequentes
Cæcatos clamare viros; Fili inclyte David,
Decute nocturnas exstinctis vultibus umbras,
Et clarum largire diem. Quam credere tutum,
Quam sanum est cognosse Deum! jam corde videbant,
Qui lucis sensere viam; tunc cæca precantum
Lumina, diffuso ceu torpens ignis olivo,
Sub Domini micuere manu, tactuque sereno
Instaurata suis radiarunt ora lucernis.
His ita dimissis, alius producitur æger,
Multiplici languore miser, qui voce relictus,
Auditu vacuus, solo per inania membra
Dæmone plenus erat: hunc protinus ordine sacro
Curavit versis Deus in contraria causis,
Dæmonio vacuans, auditu, et voce reformans.
Nec minus interea proprios jubet omnia posse
Discipulos, totisque simul virtutibus implens,
Ite, ait, et tristes morborum excludite pestes,
Sed domus Israel, (quia necdum nomine gentes
Auxerat hoc omnes) cœlorum dicite regnum,
Dæmoniis auferte locum, depellite lepram;
Functaque subductæ revocate cadavera vitæ.
Sumpsistis gratis, cunctis impendite gratis.
Ac velut hoc dicens, Ego vobis quippe ministris
Servandos committo greges, ego denique pastor

Sum bonus, et proprios ad victum largior agros.
Nemo meis ovibus, quæ sunt mea, pascua vendat.
Hæc in Apostolicas ideo prius edidit aures
Omnipotens, ut ab his jam sese auctore magistris
In reliquum doctrina fluens decurreret ævum.
Qualiter ex uno paradisi fonte leguntur
Quatuor ingentes procedere cursibus amnes,
Ex quibus in totum sparguntur flumina mundum.
Quisquis enim deitatis opus, quod non habet ex se,
Sed, Domino tradente, gerit, sub munere puro
Suscipiet, puro dispenset munere, possit
Ut dispensator, non ut mercator haberi,
Davidisque modis vitam cantare futuram;
Intrabo in Domini requiem, quia nescio mercem.
  Exin conspicuam synagogæ ingressus in aulam,
Aspicit invalidum, dimenso corpore mancum,
Seminecem membris, non totum vivere, cujus
Arida torpentem damnarat dextera partem;
Imperioque medens, gelidam recalescere palmam
Præcipit, et reduci divino more saluti,
Sicut semper agit, nil tollit, et omnia reddit.
  En iterum veteres instaurans lubricus artes
Ille chelydrus adest, nigri qui felle veneni
Lividus, humano gaudet pinguescere tabo,
Quodque per alternos toties disperserat ægros
Virus, in unius progressus viscera fudit:
Cui vocem, lumenque tulit, triplicique furore
Saucia membra tenens, mutum quatiebat, et orbum.
Tunc Dominus mundi, lux nostra, et sermo parentis,
Sordibus exclusis, oculos, atque ora novavit;

Verbaque per verbum, per lumen lumina surgunt.
Venerat et mulier, morbo contracta vetusto,
Non senio, tremebunda, gemens, incurva, caducis
Vultibus, et solam despectans cernua terram.
Quæ, Domino miserante, juges post octo, decemque
Membra levat messes, cœlumque, ac sidera tandem
Cernit, et ardentem solis reminiscitur orbem,
Totum erecta videns; quia quos malus opprimit hostis,
Ima petunt; quos Christus alit, sine labe resurgunt.
Cumque dehinc populum sese in deserta secutum,
Ut typicus Moses, verusque Propheta, videret
Antiquam sentire famem, majoribus actis
Antiquam monstravit opem; tunc alite multo
Carnis opima dedit, geminis modo piscibus auxit.
Sufficiens tunc manna pluit, modo panibus amplum
Quinque dedit victum per millia quinque virorum.
Cætera turba latet, numero nec clauditur ullo
Maxima parvorum legio, vel maxima matrum.
Quodque magis stupeas, cophinos ablata replerunt
Fragmina bissenos, populisque vorantibus aucta,
Quæ redit a cunctis, non est data copia mensis.
Jamque senescentem calidi sub cærula ponti
Oceano rapiente diem, cum pallor adesset
Noctis, et astriferas induceret hesperus umbras,
Discipuli, solo terris residente magistro,
Undosum petiere salum, fluctuque tumente
Torva laborantem jactabant æquora puppim,
Adversus nam flatus erat; tunc noctis opacæ
Tempore calcatas Dominus superambulat undas,
Et vasti premit arva freti, glaucisque fluentis

Circumfusa sacras lambebant marmora plantas.
Miratur stupefacta cohors, sub calle pedestri
Navigeras patuisse vias : at Petrus amicam
Doctus habere fidem, Christumque agnoscere semper,
In medias descendit aquas, quem dextra levavit
Labentem Domini, nil tanto in gurgite passum :
Cui portus fuit illa manus, pelagique viator
Libera per vitreos movit vestigia campos.
Genesar inde soli, Domino veniente, coloni
Infirmos traxere suos, ut fimbria saltem
Vix attacta Dei morbis mederetur acerbis;
Et quotquot tetigere, jugem sensere salutem.
Quam pretiosa fuit, quæ nunquam vendita vestis?
Ipsa omnes modici redimebat munere fili.
Hinc Tyrias partes, Sidoniaque arva petentem
Anxia pro natæ vitio, quam spiritus atris
Vexabat stimulis, mulier Chananæa rogabat,
Se canibus confessa parem, qui nare sagaci
Semper odoratæ recubant ad limina mensæ,
Assueti refluas dominorum lambere micas.
Vox humilis, sed celsa fides, quæ, sospite nata,
De cane fecit ovem, gentisque in sentibus ortam
Compulit Hebræi de gramine vescier agri.
Alta dehinc subiens montis juga, plebe sequente,
Millia cæcorum, claudorum millia passim,
Leprososque simul populos, surdasque catervas,
Invalidasque manus; et quidquid debile vulgi
Venerat, in priscum componit motibus usum,
Et revocata suis attemperat organa nervis.
Dumque medens ægrum refovet virtute tumultum,

Tertia lux aderat, sterilique in cespite nullum
Contigerat plebs tanta cibum, nimiosque labores
Nutribat geminanda fames, si saucia callem
Turba per ingentem dapibus jejuna rediret.
Qua flexus pietate Deus, qui semper egentum
Panis adest, victumque locis sine frugibus infert,
Pisciculis paucis, et septem panibus agmen
Pavit enorme virum, præterque infirma secundi
Sexus, et ætatis saturavit quatuor illic
Millia vescentum; plus ut mireris, et auctas
Disce fuisse dapes, epulas nutrivit edendo
Vulgus, et attritæ creverunt morsibus escæ.
Relliquiasque suas, sportarum culmina septem,
Expavit fugitiva fames, ubi fragmine sumpto
Vidit abundantem modico de semine messem.
  Nec tamen humano quamvis in corpore Christum,
Matris ab occasu mortalia membra gerentem,
Clam fuit esse Deum, quia non absconditur unquam
Urbs in monte sedens, modio nec subditur ardens
Lychnus, anhelantem sed spargens altius ignem,
Cunctis lumen agit: radians nam testibus amplo
Discipulis fulgore tribus, velut igneus ardor
Solis, in æthereum versus splendore figuram,
Vicerat ore diem, vestemque tuentibus ipsam
Candida forma nivis Domini de tegmine fulsit.
O meritum sublime trium, quibus illa videre
Contigit in mundo, quæ non sunt credita mundo!
Quid quod et Heliam, et clarum videre Moysen?
Ignotos oculis viderunt lumine cordis,
Ut major sit nostra fides, hunc esse per orbem

Principium, ac finem, hunc Alpha viderier, hunc Ω.
Quem medium tales circumfulsere Prophetæ,
Alter adhuc vivens, alter stans limine vitæ.
Sidereoque sono, meus est hic filius, aiens,
Ostendit verbo genitum vox patria Christum.
Postquam corporeos virtus regressa per artus
Texit adoratam carnis velamine formam,
Seque palam Dominus populis dedit, ecce repente
Vir humilis, mœsto dejectus lumina vultu,
Procedit, supplexque manus, et brachia tendit,
Imploratque gemens; Unus mihi filius, unus
Est, Domine: horrenda lacerat quem spiritus ira,
Nec linquit, nisi mergat aquis, aut ignibus atris
Opprimat, atque animam dubia sub morte fatiget.
Hunc, precor, expulso miseratus utrumque furore
Redde mihi, vel redde sibi, ne cæca potestas
Expellat trepidam subtracto lumine vitam.
Dixerat, et genua amplectens, genibusque volutans
Hærebat, Dominusque pio jam pectore votis
Annuerat; tunc prædo furens, ac noxius hostis,
Cui possessa diu est alieni fabrica juris,
Pervasa migrare domo compulsus, in iram
Tollitur accensam, correptaque carpere membra
Nititur, et frustra, Domino prohibente, laborans,
Fugit in obscuras, puero vivente, tenebras.
Rex etiam solus regum, et dominus dominantum
Non dedignatus, Petro piscante, tributum
Solvere Cæsareum, medii de gurgite ponti
Hamum ferre jubet, gerulum didrachmatis aurei.
Incola mox pelagi pendentia fila momordit,

Jussa tributa ferens, graviorque onerante metallo,
Vilis honor piscis pretio majore pependit.
Discipulisque suis se percunctantibus, aula
Cœlestis regni quis possit major haberi?
Ut Deus, et doctor mirabilis, omnibus, inquit,
Celsior est humilis, cunctisque potentior ibit,
Qui cunctis subjectus erit, seseque minorem,
Demissa cervice, feret, velut iste videtur
Parvulus; et monstrat puerum consistere parvum.
Scilicet ingenium teneri sectemur ut ævi
Non annis, sed mente, jubet, quia mollior ætas
Nil pompæ mortalis amat, non ambit honorem,
Nec resupina tumet; sic puræ semita vitæ,
Quantum prona solo, tantum fit proxima cœlo:
Mens etenim vergens, altum petit, altaque vergit,
Inferiorque gradus, quo vult descendere, surgit.
Ecce humilem Dominus de stercore tollit egenum,
Et facit egregios inter residere tyrannos:
At contra tumidum pugnaci mente rebellem
Præcipitem cœlo sub tartara jussit abire.
Parva loquor, si facta Dei per singula curram,
Et speciale bonum, cum sit generale, revolvam.

CÆLII

SEDULII

CARMINIS PASCHALIS

LIBER QUARTUS.

Jam placidas Jordanis item transgressus arenas,
Judææ sectatus iter, sine nomine mixtum
Vulgus, et innumeras relevans a clade catervas,
Suscipit infirmos, et dat discedere sanos.
Nil igitur summo de se sperantibus unquam
Difficile est conferre duo, cui prona facultas
Ardua planare, et curva in directa referre;
Nam quidquid natura negat, se judice, præstat.
Namque foramen acus sicut penetrare camelus
Membrorum præ mole nequit, sic dives, opima
Fertilitate tumens, tenuem non possit adire
Cœlestis regni ducentem ad limina callem,
Ni genitor rerum (qui mundum lege coercet,
Et nulla sub lege manet, cui condere velle est,
Quem frons nulla videt, sed totum conspicit ipse)
Hoc impossibile est homini, dixisset, at alto
Possibile est jus omne Deo; multisque molestum

Divitibus tandem faceret mitescere censum.
Nam proprias bene tractat opes, cœloque recondi
Thesauros vult ille suos, ubi quidquid habetur,
Non mordax ærugo vorat, non tinea sulcat,
Nec male defossum famulatur furibus aurum,
Jejunis quicunque cibum sitientibus haustum,
Hospitibus tectum, nudis largitur amictum,
Solatur nexos in carcere, perfovet ægros,
Atque aliis largus, sibi tantum constat egenus.
Nec dubie in cœlum substantia pervenit illa,
Quæ Christo collata datur sub paupere forma,
Quæ damnis augmenta capit, quæ spargitur, ut sit,
Quæ perit, ut maneat, quæ vitam mortua præstat.
Præterea geminos Dominus considere cæcos,
Dum quoddam transiret iter, comitante caterva,
Conspicit, exstinctæ poscentes munera formæ,
Flebilibusque vagas implentes vocibus auras.
Nec cunctata solens pietas inferre salutem,
Quæ sentit flagrare fidem, mox lumina tangens
Evigilare jubet, quæ somnus presserat ingens,
Atque diu clausas reserans sub fronte fenestras,
Ingrediente die, fecit discedere noctem.
Hinc repetita sacri gradiens per mœnia templi,
Lumina cæcatis dedit, et vestigia claudis.
Talia Davidicam post facta reliquerat urbem,
Bethaniæ vicina petens: eademque reversus,
Clarescente die, properabat visere tecta.
Ecce autem mediis astans sublimis in arvis
Frondea ficus erat, cujus in robore nullum
Repperit esuriens, lustrato stipite, pomum.

Arboreisque comis, Jam nunc ex germine vestro
Nullus, ait, fructus reliquum generetur in ævum.
Confestim viduata suis ficulnea succis
Aruit, et siccis permansit mortua ramis.
Omnis enim quicunque Deo nil fertile nutrit,
Ceu sterilis truncus, lignis æquabitur ustis.
At justus palmæ similis florebit amœnæ,
Semper habens frondes, et tanquam Libana cedrus,
Multiplicandus adest, et vertice sidera tangit.
Post oblatus ei virtutem sensit herilem
Insanus sermone carens, quem faucibus arctis
Angebat vis clausa mali, vitiumque tacendo
Prodiderat. Sed cuncta solens infirma levare
Conditor, obsessa pepulit de fauce latronem,
Et voci patefecit iter, nexuque soluto
Muta diu tacitas effudit lingua loquelas.
Post Dominus Pharisæa petens convivia cœnæ,
Orantis dapibus sese impertivit amici.
Tunc mulier, quam fama nocens, et plurima vitæ
Mordebant delicta suæ, clementia supplex
Corruit amplectens vestigia, quæque profusis
Irrigat incumbens lacrymis, et crine soluto
Nec tergere sacras, nec cessat lambere plantas,
Unguento fragrante fovens, sententia donec
Læta Dei, quem ferre manum non pœnitet unquam,
Si nos pœniteat veterem quæsisse ruinam,
Vade, fides, mulier, tua te salvavit ab omni,
Dixisset, quodcunque mali gessisse videris:
Utere pace mea. Magna est medicina fateri,
Quod nocet abscondi; quoniam sua vulnera nutrit,

Qui tegit, et plagam trepidat nudare medenti.
En polluta diu, modicum purgata recessit
Per gemitum, propriique lavans in gurgite fletus,
Munda suis lacrymis redit, et detersa capillis.
Jamque Capharnææ synagogam intraverat urbis
Rite docens populos, quem cum vidisset iniquus
Humano sub corde latens, clamore protervo
Spiritus infremuit, Quid nobis, et tibi, dicens,
Perdere nos heu! Christe, venis? Scio denique, qui sis,
Et sanctum cognosco Dei; nec plura locutus,
Imperio terrente, tacet, hominemque relinquit
Pulsus, et in vacuas fugiens evanuit auras.
Sic etiam variis finem languoribus esse
Fecit, et exclusos semper reticere coegit
Dæmonas, ac talem prohibet se pandere testem.
Olim quippe ferox, et nigræ mortis amator
Ille nocens anguis, dejectus culmine cœli
Cum pompis, sociisque suis, omnique nefandæ
Agmine militiæ, Christum, quem noverat illic,
Conspicit in terris, velamine carnis opertum,
Et gemit esse homini Dominum virtutis amicum.
Dumque Tyri transgressus iter, Sidonia rursus
Arva legens, placidas Dominus calcaret arenas,
Curavit gemino miserum spiramine clausum,
Qui vocem non ore dabat, non aure trahebat,
Sidereæque manus ruptis penetralibus omnes
Attactu patuere fores, lætusque repente
Audirique loquens, meruitque audire loquentes.
Tu quoque virtutis sensisti munus herilis,
Procumbens oculis, cujus in lumina Christus

Expuit, et speciem simulatæ mortis ademit.
Hinc majora docens populos cœlestia, verum
Se reserat sermone Deum, turbasque frequentes,
Quæ nimis irruerant, cupiens vitare parumper,
Stagna petit, parvaque sedens Simonis in alno,
Littore sistentem firmabat ab æquore plebem.
Et dictis jam finis erat; tunc altius actam
In pelagus jubet ire ratem, vastoque profundo
Retia demitti piscantia, quæ nihil omnem
Claudere per noctem vacuo potuere labore.
Simon paret ovans, et aquosis gentibus instans,
Linea claustra jacit, tantumque immanis apertos
Implevit captura sinus, ut præda redundans
Turbaret geminas cumulato pisce carinas:
Nam socia isthic puppis erat. Sic maxima sæpe
Gaudia non ferimus, propensaque vota timemus;
Quodque Deo facile est, homines optare nec audent.
Talibus insignis virtutibus, ibat in urbem,
Quæ sit dicta Naim, populo vallatus opimo,
Et grege discipulum, miserum cum cominus ecce
Conspicit efferri juvenem, gelidumque cadaver,
Pluribus exequiis, et inani funere passum
Triste ministerium, cujus sors invida matrem
Jamdudum viduam gemina viduaverat urna.
Nec remorata diu pietas, inimica doloris,
Auxilium vitale tulit, tactoque feretro,
Surge, ait, o juvenis; parensque in tempore dicto
Mortuus assurgit, residensque, loquensque revixit,
Atque comes genitricis abit: nam funere torpens,
Ilicet amissæ passus discrimina vitæ,

Non poterat famulus, Domino clamante, tacere,
Nec, vita præsente, mori. Mox agmine verso,
Deponens trepidum recidivo tramite luctum,
Candida felicem revocavit pompa parentem.
Nec tibi parva salus, Domino medicante, Maria,
Multiplici læsum curavit vulnere sensum,
Quam fera septenis rabies invaserat armis,
Dæmonico cuneata globo; sed squameus anguis
Imperiosa sacri fugiens miracula verbi,
Corde tuo depulsus abit, volucresque per auras
In chaos infernæ lapsus penetrale gehennæ,
Septem ingens gyros, septena volumina traxit.
Neve redundantem cumulato germine messem
Exiguis Dominus sineret languere colonis,
Discipulosque alios, quorum mens conscia recti,
Puraque simplicitas, numero, meritoque refulgens,
Aurea libra fuit, velut agnos præcipit inter
Sanguineos properare lupos: Assumite, dicens,
Jura potestatis, nullum metuatis ut hostem;
Vipereasque minas, et scorpion, atque inimica
Omnia virtutis sensu calcate fideli.
Nulla meis famulis feritas adversa nocebit.
Nec tantum hoc gaudete, viri, quod spiritus ater
Subjaceat vobis, quantum quod nomina vestra
Scripsit in æterno cœlestis littera libro.
Jus est quippe Dei, vitam præponere factis.
Nam merito cessante bono, miracula nil sunt,
Quæ faciunt plerumque mali, quibus arbiter orbis,
Nescio vos, dicturus erit, discedite, cuncti
Artifices scelerum, rebus qui semper iniquis

Divinum simulastis opus. Sic tempore Mosi
Carminibus quidam vanis Memphitis in oris
Signa dabant non sponte Dei, sed imagine falsa
Visibus humanis magicas tribuere figuras.
Post Pharisæorum cujusdam principis intrat
Clarificare domum, non escam sumere tantum,
Ad quam tunc facili convenerat ille precatu.
Hic homo perspicuo distentus ventre tumebat
Plenus aquæ, gravidamque cutem suspenderat alvus
Inclusam paritura necem; jam membra fluebant,
Accrescente sinu, miserosque infusa per artus
Turgida perflatum macies tenuaverat ægrum,
Inque uteri spatium totus convenerat hydrops.
Non tulit hanc speciem mundi Pater, et sua transit
Sabbata non curans, hominem curare paratus,
Quem voluit magis esse suum: nam sabbata propter
Condita sunt hominem, sed non homo sabbata propter.
Tunc pius humentem siccata corporis unda
Jussit abire luem: fluidus mox viscera morbus
Deserit, et vacuæ resident in pectore fibræ,
Carnalemque lacum pestis lymphata reliquit.
Cœperat interea Dominus, Galilæa per arva
Transgrediens, sancto quoddam pede tangere castrum.
Hunc procul ut videre decem maculosa gerentes
Leprosi portenta viri, quos corpore fœdo
Discolor obscœnis turpabat pœna figuris,
Præceptor, miserere, potes namque omnia, Jesu,
Clamantes dixere simul: tunc flexa potestas,
Quæ nunquam pietate vacat, clementior infit:
Ite, sacerdotum conspectibus ora referte.

Cumque viam peterent, subito mundata vicissim
Mirantur sua membra viri, variumque tuentes
Esse nihil, sese pariter speculantur, et omnes
Explorant proprias alterno lumine formas.
Ex quibus ut grates ageret pro munere tanto,
Vix unus reduci conversus tramite, pronus
Sternitur ad terram, Dominum virtutis adorans,
Atque sacerdoti vero sua protulit ora.
Denique pontificum princeps, summusque sacerdos
Quis, nisi Christus, adest? gemini libaminis auctor
Ordine Melchisedech, cui dantur munera semper,
Quæ sua sunt, fructus segetis, et gaudia vitis.
Cum residens cæcus Timæi filius illud
Propter iter, Dominum per quod cognoverat ire,
Vociferans crebro lumen clamore petisset,
Nec, populo prohibente, tacens, accedere jussus
Ad Dominum palpante manu, visumque recepit,
Et, nullo ducente, redit. Quam fortiter instat
Importuna fides! quidquid res dura negarit,
Sola frequens votis oratio præstat honestis.
Unanimum panem sic ille petebat amicum,
Qui foribus clausis per opaca silentia noctis,
Obnixeque diu, confidenterque neganti,
Vocibus assiduis, precibusque extorsit anhelis.
Præteriensque viæ Dominus loca Samaritanæ,
Humanam flagrante sitim collegerat æstu,
Fonsque perennis aquæ, modicam desiderat undam,
Ut biberet, qua corpus erat; tunc accola gentis
Stans mulier, parvum puteo quæ traxerat haustum,
Cum dare cunctatur perituræ munera lymphæ,

Agnoscens propriam numeroso conjuge vitam,
Orat, inexhausti tribui sibi dona fluenti,
Æternam positura sitim, qua nemo carere
Dignus erit, Domini nisi mersus gurgite Christi,
Percipiat placidas animæ, non corporis, undas.
Dumque sui media residens testudine templi,
Ore tonans patrio, directi ad pervia callis
Errantem populum monitis convertit amicis,
Ecce trahebatur, magna stipanta caterva,
Turpis adulterii mulier lapidanda reatu,
Quam Pharisæa manus placido sub judice sistens,
Dum damnare parat, plus liberat: omnibus illis
Nam simul e turbis proprio sine crimine nullus
Accusator erat, saxum qui missile primus
Sumeret, obscœnæ feriens contagia mœchæ.
Nec poterat quisquam festucam evellere parvam
Ex oculo alterius, proprio qui lumine grandem
Sciret inesse trabem. Profugus sic ille recessit
Impetus, et clemens donat sententia culpam,
Jam non peccandi sub conditione solutam.
Nam vomitum quicunque suum canis ore relambit,
Nec veterem studet hic veniam, nec habere futuram,
Hujus damna tenens, hujus compendia perdens.
Inde means, genitum cernit considere cæcum,
Qui male prægnantis delapsus ventre parentis,
In lucem sine luce ruit. Tunc sanguinis ille
Conditor humani, mundique orientis origo,
Imperfecta diu proprii non passus haberi
Membra operis, natale lutum per claustra genarum
Illiniens, hominem veteri de semine supplet.

Nec visum tamen ante capit, quam voce jubentis
Accepta Domini, Siloam venisset ad undam,
Et consanguinei fotus medicamine limi,
Pura oculos fovisset aqua; mox ergo gemellæ
Vultibus effulgent acies, tandemque merentur
Ignotum spectare diem. Cognoscite cuncti,
Mystica quid doceant animos miracula nostros.
Cæca sumus proles miseræ de fetibus Evæ,
Portantes longo natas errore tenebras:
Sed dignante Deo mortalem sumere formam
Tegminis humani, facta est ex virgine nobis
Terra salutaris, quæ fontibus abluta sacris,
Clara renascentis reserat spiramina lucis.
  Bethaniæque solum repetens intrarat, ibique
Lazarus occidua tumulatus sorte jacebat
Jam quarto sine luce die, claususque sepulcri
Marmore, corruptum tabo exhalabat odorem.
Flebant germanæ, flebat populatio præsens,
Flebat et Omnipotens, sed corpore, non deitate,
Exanimesque artus illa pro parte dolebat,
Qua moriturus erat, lacrymisque implevit amicum,
Majestate Deum. Quid credere, Martha, moraris?
Quidve, Maria, gemis? Christum dubitatis, an unum
Possit ab infernis hominem revocare cavernis,
Qui dabit, innumeras post funera surgere turbas?
Ergo ubi clamantis Domini sonuit tuba, dicens:
Lazare, perge foras; magno concussa pavore
Tartara dissiliunt: Erebi patuere recessus,
Extremuit lethale chaos, mortisque profundæ
Lex perit, atque anima proprias repetente medullas,

Cernitur ante oculos vivens astare cadaver.
Postque sepulcralem tandem recreatus honorem,
Ipse sibi moriens et posthumus exstat, et heres.
Utque, caduca vagi contemnens culmina secli,
Monstraret se rite Deum, non curribus altis,
Qui pompæ mortalis honor, rapidisque quadrigis
Pulvereum sulcavit iter, nec terga frementis
Ardua pressit equi, phaleris qui pictus, et ostro,
Ora cruentatum mandentia concutit aurum.
Sed lento potius gestamine vilis aselli
Rectori suffecit honos, levis ungula cujus,
Ut tanto sessore decus mirabile portans,
Nobilior sub fasce foret, non illius impar,
Qui patulo Christum licet in præsepe jacentem
Agnovit tamen esse Deum. Plebs omnis adorans
In solido molles subjecit tramite vestes.
Dicite, gentiles populi, cui gloria regi
Talis in orbe fuit? cui palmis compta, vel unquam
Frondibus arboreis laudem cœlestibus hymnis
Obvia turba dedit? Domino nisi cum patre Christo,
Qui regit æthereum princeps in principe regnum.
[Cui sanctus semper conregnat spiritus æque.]

CÆLII

SEDULII

CARMINIS PASCHALIS

LIBER QUINTUS.

Has inter virtutis opes jam proxima paschæ
Cœperat esse dies, Domini cum gloria vellet
Ponere mortalem, vivamque resumere carnem,
Non aliam, sed rursus eam, quam munere plenam
Lucis, ab infernis relevans, ad sidera duxit.
Exclamansque palam; Pater ista memet ab hora
Salvifica: sed in hanc ideo veni tamen horam;
Clarifica, dixit, nomen tuum; magnaque cœlo
Vox resonans venit per nubila: Clarificavi,
Clarificabo iterum. Quid apertius est patre teste,
Cœlo assertore? At nec sic cognoscere Christum
Gens voluit Judæa Deum; pars esse ferebat
Hoc tonitrum: pars angelicam crepuisse loquelam.
O gens cæca oculis, o gens durissima corde!
Non tonitrus potuit Christum, sive angelus ullus
Auctorem generasse suum, qui, nomine Patris
Audito, responsa daret, sed ab ore Tonantis,

Natum agnoscentis, populus quo crederet astans,
Vox emissa suo respondit consona verbo.
Annua tunc sacræ celebrans per munera cœnæ
Paschales ex more dapes, humilemque ministrum
Se faciens, et grata suis exempla relinquens,
Assurgit, famulisque libens famulatur, et omnem
Linteolo accinctus tantum inclinavit honorem,
Discipulis ut sponte lavans vestigia cunctis,
Nec Judam exciperet, quem proditionis iniquæ
Noverat auctorem. Sed nil tibi gloria, sæve
Traditor, illa dabat pedibus consistere mundis,
Qui sensu pollutus eras, velut omne sepulcrum
Exteriora gerens albæ velamina formæ,
Sordibus interius, fœdoque cadavere plenum.
Nec Dominum latuere doli, scelerisque futuri
Prodidit auctorem, panem cui tradidit ipse,
Qui panis tradendus erat: nam corporis, atque
Sanguinis ille sui postquam duo munera sanxit,
Atque cibum, potumque dedit, quo perpete nunquam
Esuriant sitiantque animæ sine labe fideles:
Protinus in Judam, sedes ubi livor habebat,
Spiritus intravit teterrimus, armaque sumens
In Dominum, servile dedit consurgere bellum,
Pactus grande nefas quavis mercede: nec illi
Culpa datur pretio, sed inhærent crimina facto.
Tantumdem sceleris, terdena numismata sumens
Argenti, parvo cæcatus munere gessit,
Quantum, cuncta simul terrarum regna, marisque
Divitias, omnemque vagis cum nubibus æthram
Si caperet, gesturus erat: neque enim bona mundi

Sufficerent magni fuso pro sanguine Christi,
Qui pater est mundi, qui fecerat hunc quoque nasci.
Atque utinam sterili damnatus matre nequisset
Natalem sentire diem, nec luminis hujus
Hausisset placidas flabris vitalibus auras
Æterno torpore latens, miseroque fuisset
Sors melior nescire datam, quam perdere vitam,
Aut male fusus humo, confestim munera lucis
Perderet, ut pulvis, quem ventus projicit ingens
A facie terræ, rapidisque volatibus actus
Spargitur in vacuas nebulis obscurior umbras.
Tune cruente, ferox, audax, insane, rebellis,
Perfide, crudelis, fallax, venalis, inique,
Traditor immitis, fere proditor, impie latro,
Prævius horribiles comitaris signifer enses?
Sacrilegamque aciem, gladiis, sudibusque minacem
Cum moveas, ore ora premis, mellique venenum
Inseris, et blanda Dominum sub imagine prodis?
Quid socium simulas, et amica fraude salutas?
Nunquid terribiles aut pax conjurat in enses,
Aut truculenta pio lupus oscula porrigit agno?
Traditus ergo viris operator sanctus iniquis,
Consuetam non liquit opem, pueroque revulsam
Ense Petri, nequa pius a pietate vacaret,
Reddidit auriculam: nec enim vindicta Tonanti
Conveniens humana fuit, qui millia patrem
Angelicas sibimet legiones poscere posset
Plus duodena dari, si mallet sumere pœnas
De meritis, quam sponte suas ignoscere plagas.
Tunc parci mucrone jubet, quia venerat ipse

Ponere pro cunctis animam, non tollere cuiquam.
Namque Petro, clara jamdudum voce fatenti,
Cum Domino se velle mori: Prius aliger, inquit,
Quam gallus cantet, hac me ter nocte negabis,
Non reprobando fidem, sed prædicendo timorem.
Continuo ad tristes Caiphæ deducitur ædes.
Ille sacerdotum fuerat tunc denique princeps,
Et princeps scelerum, namque hoc residente cathedra
Pestifera, falsis agitatum testibus ardet
Concilium, jam jamque volant mendacia mille
In Dominum, vanis hominum conflata favillis,
Et pereunt levitate sui, velut ignis oberrans
Arentes stipulas, vires cui summa cremandi
Materies infirma rapit, victoque furore
Labitur invalidæ deformis gloria flammæ.
Postquam nulla dolis patuit via, brachia tolli
Armat in insontem sævus furor: heu mihi! quantis
Impedior lacrymis rabidum memorare tumultum
Sacrilegas movisse manus? non denique passim
Vel colaphis pulsare caput, vel cædere palmis,
Aut spuere in faciem plebs execranda quievit.
Ille tamen patiens subjecto corpore totum
Sustinuit, nostræque dedit sua membra saluti.
Namque per hos colaphos caput est sanabile nostrum,
Hæc sputa per Dominum nostram lavere figuram,
His alapis nobis libertas maxima plausit.
At senior, cui cuncta potens prædixerat auctor,
Quæ ventura forent, quoniam transire nequibat
Infectum, quod Christus ait, se prorsus adesse
Ipsius ex sociis, semel, ac bis, terque negavit,

Et gallus cecinit; completa est sanctio Christi,
Et sensus rediere Petro: memor ille malorum
Immemoris damnavit opus, gemituque sequente,
Culpa fugit, cedunt lacrymis delicta profusis,
Et dulcem veniam fletus generastis amari.
Jamque dies aderat, nocturna mæstior umbra,
Flagitium visura novum, tenebrisque remotis,
Pandebat populis Judææ crimina gentis.
Mox igitur Dominum Pilati ad mœnia duci
Nexibus astrictum, Judas ut vidit iniquus,
Diriguit, scelerisque sui commercia reddens
Incassum, facti pretium, non facta reliquit.
Quidnam etenim prodest, illic trepidare timore,
Nullus ubi timor est? aut quæ confessio tetro
Lucet in inferno, cum jam demissa securis
Arboris infandæ radicibus, exitialem
Quæ peperit fructum, feralia germina vertat
Funditus, et dignis pereant mala robora flammis?
Continuoque trucis correptus mente furoris,
Se quoque morte petit; tanquam tunc sanior esset,
Cum scelus ulcisci præcurreret, ipsaque diræ
Guttura vocis iter, cuncti quæ vendere mundi
Ausa redemptorem, nodatis faucibus angens
Infelicem animam laqueo suspendit ab alto.
Lenior ira quidem tantæ pro crimine culpæ,
Cunctorum cui nulla foret par pœna malorum.
Exitus hic mortis tamen, et sublime cadaver
Ostendit populis, quanto de culmine lapsus
Pridem discipulus, qui nunc reus, alta relinquens
Sidera, tartareum descendit ad usque profundum:

Tunc vir apostolicus, nunc vilis apostata factus.
At Dominus patiens cum præsidis ante tribunal
Staret, ut ad jugulum ductus mitissimus agnus,
Nil inimica cohors insontis sanguine dignum
Repperiens, regem quod se rex dixerat esse,
Objicit et verum mendax pro crimine ducit.
Nec mirum, si jura Dei gens perfida vitet,
Imperiumque neget, lucos quæ semper amavit,
Idola dilexit; simili nam more furentes,
Tunc coluere Baal, nunc elegere Barabbam,
Damnatoque pio, conservatoque protervo,
Mutavit per utrumque viam sententia justam.
Auctor mortis erat, jussus qui sumere lucem,
Auctor lucis erat, jussus qui sumere mortem.
Credite jam Christum, pro cunctis credite passum.
Quid dubitatis adhuc? en sectus terga flagellis,
Subditus opprobriis, pœnas amplectitur omnes,
Ne dignus sentire necem vel latro periret.
Heu falx torva patrum, segetem cæsura nepotum!
Heu facinus, Pilate, tuum! quot gesseris uno
Crimina judicio, vigili si mente notares,
Non solas lavisse manus, sed corpore toto
Debueras sacrum veniæ sperare lavacrum.
Corripis insontem, sistis sub præside regem,
Præponis humana Deo; qua morte teneris,
Qui Dominum numerosa cruci per vulnera figis?
Cumque datus sævis ad pœnam sanctus abiret
Militibus, vilem rubri sub tegmine cocci
Vestitur chlamydem, species ut cuncta cruentæ
Mortis imago foret; spinis circumdedit amplum

Nexa corona caput, quoniam spineta benignus
Omnia nostrorum susceperat ille malorum;
Implet arundo manum, sceptrum quod mobile semper,
Invalidum, fragile est, vacuum, leve: moxque alienos
Deponens habitus, proprium suscepit amictum,
Scilicet humanæ positurus tegmina carnis,
Et sumpturus item, nil jam ut mutabile ferret,
Post mortem propria cum majestate resurgens,
Humano ponens mortalem tegmine carnem.
Nec sine divino constat moderamine gestum,
Quod vinum cum felle datum, tristemque saporem
Suscipiens tetigit labiis, et ab ore removit.
Quippe necem parvo degustaturus amaram
Tempore, quam reduci contemnere carne pararet.
Protinus in patuli suspensus culmine ligni,
Relligione pia mutans discriminis iram,
Pax crucis ipse fuit, violentaque robora membris
Illustrans propriis, pœnam vestivit honore,
Suppliciumque dedit signum magis esse salutis,
Ipsaque sanctificans in se tormenta beavit.
Neve quis ignoret, speciem crucis esse colendam,
Quæ Dominum portavit ovans, ratione potenti
Quatuor inde plagas quadrati colligit orbis.
Splendidus auctoris de vertice fulget Eous,
Occiduo sacræ lambuntur sidera plantæ,
Arcton dextra tenet, medium læva erigit axem,
Cunctaque de membris vivit natura creantis,
Et cruce complexum Christus regit undique mundum.
Scribitur et titulus, Hic est rex Judæorum,
Quo nihil a deitate vacet: nam cœlitus actum

Hoc hebræa refert, hoc græca, latinaque lingua.
Hoc docet una fides, unum ter dicere regem.
Hujus in exuviis sors mittitur, ut sacra vestis
Intemerata manens, a Christo schisma vetaret.
Quinetiam insontis latere ex utroque cruentos
Constituere viros, meritum licet omnibus unum
Non faciat similis quamvis sententia; namque
Inter carnifices sancto pendente latrones,
Par est pœna trium, sed dispar causa duorum.
Hi mundo sunt quippe rei pro crimine multo,
Huic reus est mundus, salvatus sanguine justo.
Suppliciisque tamen rerum dominator in ipsis
Jura potestatis non perdidit: æquus utrumque
Judex namque tuens, hunc eligit, hunc reprobavit,
Amborum merita præcelso examine pensans.
Unus enim, quem vita ferox nec morte reliquit,
In Dominum scelerata movens convicia, dictis
Mordebat propriis, et tanquam setiner hircus
Ore venenoso vitem lacerabat amœnam:
Alter, adorato per verba precantia Christo,
Saucia dejectus flectebat lumina, tantum
Lumina, nam geminas arcebant vincula palmas.
Quem Dominus, ceu pastor ovem deserta per arva,
Colligit errantem, secumque adducere gaudet
In campos, paradise, tuos, ubi flore perenni
Gramineus blanditur ager, nemorumque voluptas
Irriguis nutritur aquis, interque benigne
Conspicuos pomis non deficientibus hortos
Ingemit antiquum serpens habitare colonum.
Ambo igitur varium diverso calle latrones

Aggressi facinus violentum grande patrarunt.
Infernas adit ille fores, adit iste supernas,
Ille profunda petens penetravit claustra gehennæ,
Abstulit iste suis cœlorum regna rapinis.
Interea horrendæ subito venere tenebræ,
Et totum tenuere polum, mœstisque nigrantem
Exequiis texere diem, sol nube coruscos
Abscondens radios, tetro velatus amictu,
Delituit, tristemque infecit luctibus orbem.
Hunc elementa sibi meruerunt cernere vultum,
Auxiliis orbata patris, lætata per ortum,
Mœsta per occasum. Nam lux ut tempore fulsit
Nascentis Domini, sic, hoc moriente, recessit,
Non absens mansura diu, sed mystica signans
Per spatium secreta suum; quippe ut tribus horis
Cæca tenebrosi latuerunt sidera cœli,
Sic Dominus clausi triduo tulit antra sepulčri.
Nec tellus sine clade fuit, quæ talia cernens
Funditus intremuit, dubioque in fine supremum
Expavit natura modum, ne cogeret omnem
Summus apex inferna petens succumbere molem,
Auctoremque sequens per tartara mundus abiret.
Sed pietas immensa vagas properabat ad umbras,
Perdita restituens, non consistentia perdens.
Nulla tamen tanti metuerunt signa pericli,
Qui Dominum fixere cruci, quin insuper haustum
Cum peteret sitiens, unus de plebe nefanda
Peniculo infusum calamo porrexit acetum.
Mamzeribus populis in deteriora volutis
Conveniens liquor ille fuit: nam dulcia vina

Sicut in horrendum dum convertuntur acetum,
A mensis projecta jacent : ita tempore prisco
Gens accepta Deo, nunc est odiosa propago.
Ergo ubi cuncta boni completa est passio Christi,
Ipse animam proprio dimisit corpore sanctam,
Ipse iterum sumpturus eam, quia mortuus idem,
Idem vivus erat, membris obeuntibus in se,
Non obeunte Deo, cujus virtute retrorsum
Infernæ patuere viæ, ruptæque fatiscunt
Divisa compage petræ, rediviva jacentum
Corpora sanctorum fractis abiere sepulcris,
In cineres animata suos; subitoque fragore
Illud ovans templum, majoris culmina templi
Procubuisse videns, ritu plangentis alumni,
Saucia discisso nudavit pectora velo,
Interiora sui populis arcana futuris
Jam reseranda docens, quia lex velamine Mosi
Tecta diu, Christo nobis veniente, patescit.
Dic, ubi nunc, tristis, victoria, dic, ubi nunc sit,
Mors, stimulus, horrenda, tuus? quæ semper opimis
Insaturata malis, cunctas invadere gentes
Pœnali ditione soles; en pessima, non tu
Pervenis ad Christum, sed Christus pervenit ad te,
Cui licuit sine morte mori, quique omnia gignens,
Omnia constituens, te non formavit; ut esses,
Semine vipereo, culpa genetrice crearis,
Et, venia regnante, peris. Jam spiritus artus
Liquerat ad tempus, patulo jam frigida ligno
Viscera pendebant, et adhuc furor, arma ministrans,
Cuspide perfossum violat latus : eque patenti

Vulnere purpureus cruor, et simul unda cucurrit.
Hæc sunt quippe sacræ pro relligionis honore,
Corpus, sanguis, aqua, tria vitæ munera nostræ.
Fonte renascentes, membris, et sanguine Christi
Vescimur, atque ideo templum deitatis habemur:
Quod servare Deus nos annuat immaculatum,
Et faciat tenues tanto mansore capaces.
  Ergo ubi depositi thesaurum corporis amplum
Nobilis accepit Domino locus ille jacente,
Nobilior surgente tamen, generatio fallax
Augebat sub corde nefas, quod nocte silenti
Discipuli Christum raperent, et abisse referrent,
Ter redeunte die, sicut prædixerat ipse.
Quo stimulante metu, vigilum munimina poscunt
Plura dari, sævaque locum obsidione teneri.
  Si nondum post vincla crucis, post vulnera ferri,
Post obitum mortis, numerosa cæde cruentum,
Carnifices, implestis opus, nec creditis illum,
Qui toties imis animas produxit ab umbris,
Posse suam revocare magis, pejoribus aptos
Consiliis armate dolos, signate sepulcrum,
Ponite custodes, monumento advolvite saxum.
Quis poterit servare Deum, cui cardine rerum
Cuncta patent? undis habitat, per tartara regnat,
Et cœli de nube tonat. Quid, sæve tumultus,
Excubiis deperdis opus? quid niteris illam
Explorare fidem, cui non vis credulus esse?
  Cœperat interea post tristia sabbata felix
Irradiare dies, culmen qui nominis alti
A Domino dominante trahit, primusque videre

Promeruit nasci mundum, atque resurgere Christum.
Septima nam Genesis cum dicit sabbata, claret,
Hunc orbis caput esse diem, quem gloria regis,
Nunc etiam proprii donans fulgore trophæi,
Primatum retinere dedit; hoc luminis ortu
Virgo parens, aliæque simul cum munere matres
Messis aromaticæ, notum venere gementes
Ad tumulum, vacuumque vident jam corpore factum,
Sed plenum virtute locum. Nam missus ab astris
Angelus amoti residebat vertice saxi,
Flammeus aspectu, niveo præclarus amictu.
Qui gemina specie terrorem, et gaudia portans,
Cunctaque dispensans, custodibus igne minacem
Venerat in formam, Christum quærentibus albam.
Illæ igitur Dominum calcata vivere morte
Angelica didicere fide; perterritus autem
Miles in ancipiti retinet discrimine vitam,
Deserta statione fugax, testisque timoris
Vera refert gratis; postquam data munera, fallit.
Discipulumque globum placidi sub tempore somni
Clam sibi nocturna Christum abstraxisse rapina
Compositus simulator ait. Fare, improbe custos,
Responde, scelerata cohors, si Christus, ut audes
Dicere, concluso furtim productus ab antro,
Sopitos latuit, cujus jacet intus amictus,
Cujus ad exuvias sedet Angelus? anne beati
Corporis ablator velocius esse putavit
Solvere contectum, quam devectare ligatum?
Cum mora sit furtis contraria, cautius ergo
Cum Domino potuere magis sua lintea tolli.

Mentita est vox vana sibi; tamen ista figuram
Res habet egregiam: Judæis constat ademptum,
Quem nos devoto portamus pectore Christum.
Plange sacerdotes perituros, plange ministros,
Et populum, Judæa, tuum pro talibus ausis.
Non tuba, non Unctus, non jam tua victima grata est
Quænam bella tibi clanget tuba, rege perempto?
Quis tuus Unctus erit, quæ verum amiseris Unctum?
Victima quæ dabitur, cum victima pastor habetur?
Discedat synagoga, suo fuscata colore,
Ecclesiam Christus pulchro sibi junxit amore,
Hæc est conspicuo radians in honore Mariæ:
Quæ cum clarifico semper sit nomine mater,
Semper virgo manet; hujus se visibus astans
Luce palam Dominus prius obtulit, ut bona mater,
Grandia divulgans miracula, quæ fuit olim
Advenientis iter, hæc sit redeuntis et index.
Mox aliis conviva potens in fragmine panis
Agnitus enituit, qui verus panis apertis
Semper adest oculis, fidei quos gratia claros
Efficit, ut Dominum viventem cernere possint.
Sæpe dehinc proprios diversi temporis horis
Discipulos manifestus adit, vescentibus illis,
Extemplo nunc ora ferens, nunc piscis obusti,
Atque favi mandens epulas, quo rite doceret,
Corporeas res esse dapes, seseque videri
In membris, quibus ante fuit. Formidine rursus
Plebis apostaticæ, Dominum quæ cæca negasset,
Cum foribus clausis resideret turba fidelis,
Pace salutantis sese intulit, atque foratas
Expediens palmas, nudat latus: ast ibi Thomas,

Cui Didymus cognomen erat, cum fratribus una
Non fuerat, dubiamque fidem sub corde gerebat.
Donec rursus, eo pariter residente, veniret,
Qui nunquam subtractus erat. Tunc limine clauso
Constitit in medio, non dedignatus apertum
Discipulo monstrare latus, tactuque probari
Vulneris, et mentem patienter ferre labantis.
Agnitus hinc potius, quod sit dubitantis amicus.
Quisquis enim artifices cæca sub imagine fraudes
Instruit, et vanas cupit exercere figuras,
Non vult agnosci, non vult, sua facta requiri,
Ut lateant sub nube doli, nebulaque recludens
Omnia, sollicitos odit simulator amicos.
Gnarus item Dominus, Petro piscante per æquor
Cum sociis, captum esse nihil, dimittere lina
In dextras hortatur aquas; mox gurgite clauso
Pendula fluctivagam traxerunt retia prædam,
Per typicam noscenda viam: nam retia dignis
Lucida sunt præcepta Dei, quibus omnis in illa
Dextra parte manens concluditur, ac simul ulnis
Fertur apostolicis Domini ad vestigia Christi.
Nec piscis, prunæque vacant, et panis, in uno
Discipulis inventa loco; quisnam ambigat, unam
His rebus constare fidem? quippe est aqua piscis,
Christus adest panis, sanctusque Spiritus ignis.
Hinc etenim abluimur, hoc pascimur, inde sacramur.
Tunc epulis præceptor eos invitat edendis,
Alloquiis de more piis, mensamque petentes
Unanimes nota Domini bonitate fruuntur,
Et Christum sensere suum, modicoque paratu
Postquam victa fames, et surrexere relictis

Rite toris, an corde Petrus se diligat alto,
Explorat Dominus: Petrus annuit: ergo nitentes
Pastor amans augere greges, operario in omni
Parte bono commendat oves, commendat et agnos.
Hoc terno sermone monens, ut terna negantis
Culpa recens parili numero purgata maneret.
Inde sequenda docens, Pacem omnes, inquit, habete,
Pacem ferte meam, pacem portate quietam,
Pacem per populos monitis dispergite sanctis,
Et mundum vacuate malis: gentesque vocari
Finibus e cunctis, latus qua tenditur orbis,
Jussis mando meis, omnesque in fonte lavari.
Hæc ubi dicta pio Dominus sermone peregit,
Bethaniæ mox arva petit: coramque beatis
Qui tantum meruere viris spectare triumphum,
Æthereas evectus abit sublimis in auras.
Ad dextram sedet ipse Patris, totumque gubernat
Jure suo, qui cuncta tenens excelsa, vel ima,
Tartara post cœlum penetrat, post tartara cœlum.
Illi autem lætis cernentes vultibus, altas
Ire super nubes Dominum, tractusque coruscos
Vestigiis calcare suis, venerantur, adorant,
Sidereasque vias alacri sub corde reportant,
Quas cunctos doceant: testes nam jure fideles
Divinæ virtutis erant, qui plura videntes,
Innumerabilium scripserunt pauca bonorum.
Nam si cuncta sacris voluissent tradere chartis
Facta redemptoris, nec totus cingere mundus
Sufficeret densos per tanta volumina libros.

CÆLII

SEDULII

VETERIS ET NOVI TESTAMENTI

COLLATIO.

CANTEMUS, socii, Domino cantemus honorem,
  Dulcis amor Christi personet ore pio.
Primus ad ima ruit magna de luce superbus,
  Sic homo, cum tumuit, primus ad ima ruit.
Unius ob meritum cuncti periere minores,
  Salvantur cuncti unius ob meritum.
Sola fuit mulier, patuit qua janua letho:
  Et qua vita redit, sola fuit mulier.
Frater iniquus erat, justum qui perculit olim,
  Damnator Christi frater iniquus erat.
Transitus ille monet, quid prima amisit origo,
  Quid ventura parent, transitus ille monet.
Arca levatur aquis, homines ne perderet æquor,
  Ne pereant homines, arca levatur aquis.
Sume, pater, populos pro nati vulnere cunctos.
  Cum tradis Christum, sume, pater, populos.
Hostia summa patris, tacitis signata figuris;

Quam referat Christus, hostia summa patris.
Claudicat ecce videns Dominum, dum prævalet, heros,
Aspera gens Christum claudicat ecce videns.
Reppulit ille famem, venitus crimine fratrum:
Venditus a Juda, reppulit ille famem.
Perfide, corde peris, dum vastant omnia plagæ:
Dum cessant plagæ, perfide, corde peris.
Agnus ab hoste sacer revocavit sanguine patres,
Sanguine nosque refert agnus ab hoste sacer.
Obruit unda nefas, populo gradiente per æquor,
Nunc mundi populis obruit unda nefas.
Murmurat impietas, manna veniente refecta,
Panis adest Christus, murmurat impietas.
Plebs sibi dura caput terræ cultoris adoptat,
Abstulit heu! Christum plebs sibi dura caput.
Lex dedit indicium veteris de crimine pœnæ,
Quodque salus veniat, lex dedit indicium.
En lapis irriguus, satiare, incredule, fonte;
Qui Christum reprobas, en lapis irriguus.
Carpitur igne sacro munus, votumque piorum,
Seditiosa tribus carpitur igne sacro.
Regna beata patris legis non contigit heres,
Jesus dispensat regna beata patris.
Destruit arca Dei, muros dum circuit, hostem,
Sic hostem mundi destruit arca Dei.
Area vellus habet, madido sed vellere sicca est,
Siccum tota madens area vellus habet.
Vincis honore Dei promisso in munere gentes,
Affectum natæ vincis honore Dei.
Tu decus omne tuis, qui sternis cæde Goliam;

Qui vincis mundum, tu decus omne tuis.
Maxima dona Dei cuncti cecinere Prophetæ,
Implevit Christus maxima dona Dei.
Pondera dura tulit mandatum legis, et iram,
Gratia mandati pondera dura tulit.
Virgo Maria nitet, nullo temerante pudore,
Post partum pueri virgo Maria nitet.
Filius hic hominis fit maxima quæstio mundi,
Nobiscum Deus est filius hic hominis.
Gaudia magna Dei mundus percepit, et ambit,
Respuit heu! mundus gaudia magna Dei.
Signa movent populos, cernunt magnalia cæci,
Nulla tamen duros signa movent populos.
Aspera mors populis ligno deducta cucurrit,
Aufertur ligno aspera mors populis.
Ipse tulit Dominus pro pœnis munera servis,
Pro servis pœnas ipse tulit Dominus.
Vita beata necem miseris avertere venit,
Pertulit a miseris vita beata necem.
Lumen adesse Dei, persensit tartarus ingens,
Nec cernunt homines, lumen adesse Dei.
Mors fera per hominem miserum sibi subdidit orbem,
Subdita contremuit mors fera per hominem.
Suscitat ecce genus morti pater ille profanus,
Ad vitam Christus suscitat ecce genus.
Hic populus Dominum dura cervice negavit,
Suscepit primus hic populus Dominum.
Sanguine læta redit fuso gens impia Christi,
Gustato Christi sanguine læta redit.
Crimina cuncta suis terrenus contulit auctor,

Dissolvit Christus crimina cuncta suis.
Libera corda sibi facinus devinxerat olim,
Nunc reficit Christus libera corda sibi.
Fortia vincla dedit peccati sæva potestas,
Dulcis amor Christi fortia vincla dedit.
Jam super astra sedet, cuncti exsultate fideles :
Perfide, quid sævis? jam super astra sedet.
Mortuus ille tonat, cœlum, terramque subegit :
Quid facient hostes? mortuus ille tonat.
Pellitur umbra die, Christo veniente figura,
Christus adit gentes, pellitur umbra die,
Te properare docent et signa, et secula prima,
Nos sacra quæ gerimus, te properare docent.
Unicus adveniens firmavit vota priorum,
Vota dedit nobis unicus adveniens.
Passio, Christe, tui complevit munera legis,
Munera nostra replet passio, Christe, tui.
Hic homo, qui Deus est, spes est antiqua piorum,
Spes in fine piis hic homo, qui Deus est.
Munus erit fidei toto credentibus ævo,
Qui dedit, ut credant, munus erit fidei.
Te veniente, Deus, mundanus concidit error,
Occidit hic mundus, te veniente, Deus.
Gratia plena Dei est, quæ totis gentibus exstat,
Abscedant sectæ, gratia plena Dei est.
Sola columba redit, quæ totum circuit orbem,
Discedant corvi, sola columba redit.
Adveniet Dominus dare digna piis, mala pravis,
Credite jam, miseri, adveniet Dominus.
Visio, Christe, tui tormentum, et pœna malorum est,

Gloria cuncta bonis visio, Christe, tui.
Gloria magna patri, semper tibi gloria, nate,
Cum sancto Spiritu gloria magna patri.

CÆLII

SEDULII

HYMNUS.

A solis ortus cardine
Ad usque terræ limitem
Christum canamus principem,
Natum Maria virgine.
Beatus auctor seculi
Servile corpus induit,
Ut, carne carnem liberans,
Ne perderet, quos condidit.
Clausæ parentis viscera
Cœlestis intrat gratia,
Venter puellæ bajulat
Secreta, quæ non noverat.
Domus pudici pectoris
Templum repente fit Dei,
Intacta nesciens virum
Virgo creavit filium.
Enixa est puerpera,

Quem Gabriel prædixerat,
Quem matris alvo gestiens
Clausus Ioannes senserat.
Feno jacere pertulit,
Præsepe non abhorruit,
Parvoque lacte pastus est,
Per quem nec ales esurit.
Gaudet chorus cœlestium,
Et angeli canunt Deo,
Palamque fit pastoribus
Pastor, creator omnium.
Herodes Hostis impie,
Christum venire quid times?
Non eripit mortalia,
Qui regna dat cœlestia.
Ibant Magi, quam viderant
Stellam sequentes præviam,
Lumen requirunt lumine,
Deum fatentur munere.
Katerva matrum personat,
Collisa deflens pignora,
Quorum tyrannus millia
Christo sacravit victimam.
Lavacra puri gurgitis
Cœlestis agnus attigit,
Peccata, quæ non detulit,
Nos abluendo, sustulit.
Miraculis dedit fidem,
Habere se Deum patrem,
Infirma sanans corpora,

Et suscitans cadavera.
Novum genus potentiæ!
Aquæ rubescunt hydriæ,
Vinumque jussa fundere
Mutavit unda originem.
Orat salutem servulo
Flexus genu centurio,
Credentis ardor plurimus
Exstinxit ignes febrium.
Petrus per undas ambulat
Christi levatus dextera:
Natura quam negaverat,
Fides paravit semitam.
Quarta die jam fetidus
Vitam recepit Lazarus,
Mortisque liber vinculis
Factus superstes est sibi.
Rivos cruoris torridi
Contacta vestis obstruit,
Fletu rigantis supplicis
Arent fluenta sanguinis.
Solutus omni corpore,
Jussus repente surgere,
Suis vicissim gressibus
Æger vehebat lectulum.
Tunc ille Iudas carnifex
Ausus magistrum tradere,
Pacem ferebat osculo,
Quam non habebat pectore.
Verax datur fallacibus,

Pium flagellat impius,
Crucique fixus innocens
Conjungitur latronibus.
Xristo myron post sabbatum
Quædam vehebant compares,
Quas allocutus Angelus,
Vivum sepulcro non tegi.
Ymnis venite dulcibus
Omnes canamus subditum
Christi triumpho tartarum
Qui nos redemit venditus.
Zelum draconis invidi,
Et os leonis pessimi
Calcavit unicus Dei,
Seseque cœlis reddidit.

EPIGRAMMA.

Hæc tua perpetuæ quæ scripsi dogmata vitæ,
Corde, rogo, facias, Christe, manere meo:
Ut, tibi quæ placeant, tete faciente, requirens,
Gaudia cœlorum, te duce, Christe, metam.

MARTENIUS.

MARTENII

DE INCARNATIONE

DOMINI

CARMEN.

OMNIPOTENS genitor tandem miseratus ab alto,
Postquam cuncta dedit cœlo constare sereno,
Omnibus in terris divinum aspirat amorem,
Semper honore pio nomen natique, patrisque
Ornare, et canere, paribusque in regna vocari
Auspiciis, hinc progeniem virtute futuram
Egregiam, et totum quæ legibus occupet orbem.
Ne tamen in terris mortalia pectora turbet,
Ignotum numen, Deus æthere missus ab alto,
Mortalis visus potuit quantusque videri.
Virgo matura fuit jam plenis nubilis annis,
Cui genus a proavis ingens, nomenque, decusque:
Intemerata toris talem se læta ferebat,
Casta pudicitiam miro servabat amore.
Huic se forma Dei, cœlo demissus ab alto
Spiritus, intus alit, casto se corpore miscet.
Ante tamen dubiam dictis solatur amicis:

Alma parens, mundi Dominum paritura potentem,
Nam te digna manent generis cunabula sancti,
Vade, ait, o felix nati pietate, quocunque vocaris,
Auspiciis manifesta novis, hic vertitur ordo,
Hujus in adventu fides, et fama perennis.
Dixerat: illa pavens oculos suffusa nitentes,
Suspirans, imoque trahens a pectore vocem,
Virgo refert: Haud equidem tali me dignor honore:
Non opis est nostræ, nec fas, nec conjugis unquam
Prætendi tædas, aut hæc in fœdera veni;
Sed post jussa Deum nihil est, quod dicta recusem.
Accipio, agnoscoque libens: sequor omina tanta,
Promissisque patris exequar cœlestia dona,
Admiranda Dei tantarum munera laudum.
Panditur interea domus omnipotentis olympi
Sideream in sedem, terras unde arduus omnes
Aspicit, et natum verbis compellat amicis:
Nate, meæ vires, mea magna potentia solus,
Nate, mihi quem nulla dies ab origine rerum
Dissimilem arguerit, comitem complector in omnes.
Te sine nil altum mens inchoat: omnia mecum
Æternis regis imperiis, et quidquid ubique est.
Nulla meis sine te quæretur gloria rebus:
Omnia sub pedibus, qua sol utrumque recurrens
Aspicit oceanum, vertique, regique videbunt.
Quæ tibi polliceor, neque est te fallere quidquam,
Hæc tibi semper erunt vatum prædicta priorum:
Nec mea jam mutata loco sententia cedit.
Nascere, præque diem veniens age, lucifer, almum;
Unde etiam magnus cœlorum nascitur ordo;

Nascere, ut incipiant magni procedere menses,
Ne maneant nobis priscæ vestigia fraudis;
Prospera venturo lætentur ut omnia seclo.
Aggredere o magnos, aderit jam tempus, honores:
Aspera tum positis mitescent secula bellis,
Pacatumque reges patriis virtutibus orbem.
Haud mora, continuo patris præcepta facessit:
Æthere se mittit, figitque in Virgine vultus,
Nec mortale tuens, afflata est numine quando
Jam propiore Dei. Nam tempore eodem
Matri longa decem tulerunt fastidia menses;
Et nova progenies mox clara in luce refulsit.
Mox etiam magni processit numinis astrum,
Stella facem ducens multa cum luce cucurrit.
Ille dies primus lethi, primusque salutis
Monstrat iter vobis ad eum, quem semper acerbum
Semper honoratum cuncti celebrate faventes.
Annua vota tamen noctem non amplius unam
Haud segnes vigilate viri, dapibusque futuris
Luce palam cumulate piis altaria donis.
Hac vestri maneant in relligione nepotes;
Jamque egomet venio, sedes, arcemque reviso.
Accipite ergo animis, atque hæc mea figite dicta,
Ore favete omnes, et huc advertite mentem.
E diverso sedem quotiens venietis in unam,
Undique collecti pacem laudate frequentes.
Cogite consilium, coeant in fœdera dextræ,
Qua datur pacis solum inviolabile pignus.
Discite justitiam, æterna in pace futuræ
Concordes animæ, si non irrita dicta putatis.

Nulla dies usquam memori vos eximet ævo :
Mortalem eripiam formam, et præmia reddam
Fortunatorum nemorum, sedesque beatas.
Non eritis regno indecores, nec vestra feretur
Fama levis, mecum pariter considite regnis.
Urbem quam statuo, vestra est, intrare licebit.
Nusquam, abero, et tutos patrio vos limine sistam :
Iidem venturos tollemus in astra nepotes,
Quæ vero nunc quoque vobis, dum vita manebit,
Præmia digna feram ? non vobis numine nostro
Divitis uber agri, rerumque opulentia deerit.
Fundit humo facilem victum justissima tellus,
Proventuque onerat sulcos, atque horrea vincit :
Floret ager, spumat plenis vindemia labris.
Exuberat fetus ramos frondentis olivæ :
Quotque in flore novo pomis se fertilis arbor
Induerit, totidem autumno matura tenebit.
Non liquidi gregibus fontes, non gramina deerunt :
Et quantum longis carpent armenta diebus,
Exigua tantum gelidus ros nocte reponet.
Hæc sunt, quæ nostra deceat vos voce moneri.
Vivite felices, et condita mente tenete.
Hæc ubi dicta dedit, mox sese attollit in auras,
Suspiciens cœlum, caput inter nubila condit.
Atque ita discedens terris, animisque suorum
Concretam exemit labem, purumque reliquit
Æthereum sensum, atque aurai simplicis ignem.
Ex illo celebratus honos, lætique minores
Servavere diem, atque hæc pia sacra quotannis
Matres, atque viri, pueri, innuptæque puellæ

Carminibus celebrant, paterisque altaria libant.
Ast ego, qui cecini magnum et mirabile numen,
Hæc eadem gentique meæ, generique manebunt.

ASTERIUS.

T. RUFI

ASTERII

EPIGRAMMA.

SUME, sacer meritis, veracis dicta poetæ,
Quæ sine figmenti condita sunt vitio.
Quo caret alma fides, quo sancti gratia Christi,
Per quam justus ait talia Sedulius.
Asteriique tui semper meminisse jubeto,
Cujus ope, et cura edita sunt populis;
Quem quamvis summi celebrent per secula fastus,
Plus tamen ad meritum est, si niget ore tuo.

BELISARIUS.

BELISARII

DE SEDULIO

ACROSTICHIS.

S EDULIUS Christi miracula versibus eden S
E micat, invitans parvæ ad solemnia mensa E
D ignum convivam : non hunc, qui carperet illu D
V ix quod nobiliumt riplici fert aula parat U
L ætum quod ponit sub aurea tecta tribuna L
I n quo gemmiferi, totque aurea vasa, canistr I
U vida pro modico portant sibi prandia vict U
S ed quod olus vile producit pauperis hortu S
A t post delicias properant qui sumere magn A
N ituntur parvum miserorum spernere grame N
T antum quod nihil est, dum nil cum ventre tumesci T
I nsidias membrisque movens, animæque luent I
S i tamen his dapibus vesci dignantur egeni S
T emnat divitias animus, paucisque quiescà T
E xemplo assumptus Domini, qui millia quinqu E
S emotis cunctis, modicis saturavit ab esci S.

LIBERIUS.

D. LIBERII

DE SEDULIO

ACROSTICHIS.

Sedulius Domini per culta novalia pergen — S
E n loca prospexit multo radiantia flor — E
D iscurrit per prata libens : quo gramine Davi — D
Vidit divino modulantem carmina cant — U
L audes hoc psallente viro, refluit cythara me — L
I lle ubi grandisoni captus dulcedine plectr — I
U ritur, et celeri graditur per lilia pass — U
S acratosque iterum late conspexit amœno — S
A eterna Christi fluvios quos abluit und — A
Nec passus torpere diu doctoris acume — N
T unc sua Davidicus delectus plectra poposci — T
I rrita polluti contemnens numina mund — I
S igna crucis fronti ponit, breviterque triumpho — S
T angit, Christe, tuos, numerosaque præmia liba — T
E rgo dum vario decorat sua rura color — E
S tabunt hi gracili ducti testudine versu — S.

HONORIUS.

D.

HONORII

EPIGRAMMA.

DE APOSTOLIS IN CHRISTI ASCENSIONE OBSTUPESCENTIBUS.

Luce videt Christum Petrus, quem nocte negavit;
Et cecinit Dominum pergere ad astra suum.
Territus Andreas, orat: miserere magister,
In regnum patris collige discipulum.
Jacobus expavit, hominem per nubila ferri;
Supponit scapulas, dat pia vota Deo.
Hæret ab aspectu tremulus per membra Joannes;
Et turbatus, adhuc sic stetit ut placeat.
Quin sequimur te, Christe? vocat sine voce Philippus;
Num projectus ego, liber et implicitus?
Bartholomæe, pedes Christi pendere tremiscis;
Et vis (si capias) tendere pace manus.
Thomas, ex toto nondum satiatus amore,
Se palpare putat vulnera, membra, latus.
Matthæus, muto similis, per scripta locutus:
Nam timor invasit, nota tacere senem.
Jacobus Alphæi pallet, sine morte sepultus:

Dans comites oculos; reddere quod potuit.
Hic stupet attonitus Simon, migrasse Tonantem;
Et fugit affectans, fulgura velle pati.
Matthias, portæ Cœli defixus inhæret;
Omnia, cum Christo teste, abiisse putans.
Judas, e cunctis, corpus sine fronte levatus;
Conspicit, occisum vivere in orbe Deum.

AVITUS.

DE ALCIMO EDICIO

AVITO.

Avitus Viennensis Episcopus, eloquentia et sanctitate præcipuus, scripsit dialogum adversus hæresin Arrianam, illam oppugnans, fidelissimo et doctissimo immortalique ingenio : item alios libellos duos contra Nestorem et Eutychem : fuerunt et alia illius plura eximia opera. Sigismundum regem in fide pietatis erudivit, quem captum et a Francis occisum vehementer doluit.

ALCIMI

ED. AVITI

POEMATUM

LIBER PRIMUS.

DE INITIO MUNDI.

QUICQUID agit varios humana in gente labores,
Unde brevem carpunt mortalia tempora vitam,
Vel quod polluti vitiantur origine mores,
Quos aliena premunt priscorum facta parentum,
Addatur quanquam nostra de parte reatus,
Quod tamen amisso dudum peccatur honore,
Adscribam tibi, prime pater, qui semine mortis
Tollis succiduæ vitalia germina proli.
Et licet hoc totum Christus persolverit in se,
Contraxit quantum percussa in stirpe propago;
Attamen auctoris vitio, qui debita lethi
Instituit, morbosque suis ac funera misit,
Vivit peccati moribunda in carne cicatrix.
Jam pater omnipotens librantis pondere verbi
Undique collectis discreverat arida lymphis,
Littoribus pontum constringens, flumina ripis:
Jam proprias pulchro monstrabat lumine formas,

Obscuro cedente die, varioque colore
Plurima distinctum pingebat gratia mundum.
Temporibus sortita vices tum lumina cœlo
Fulsere alterno solis lunæque meatu.
Quin et sidereus nocturno tempore candor
Temperat horrentes astrorum luce tenebras.
Actutum suavi producens omnia fetu,
Pulchra repentino vestita est gramine tellus.
Accepere genus sine germine jussa creari,
Et semen voluisse fuit. Sic ubere verbi
Frondescunt silvæ: teneris radicibus arbor
Duravit vastos parvo sub tempore ramos.
Protinus in varias animalia multa figuras
Surgunt, et vacuum discurrunt bruta per orbem.
Elatæ in altum volucres, motuque citato
Pendentes secuere vias, et in aere sudo
Præpetibus librant membrorum pondera pennis.
Post etiam clausi vasto sub gurgite pisces
Respirant lymphis, flatusque sub æquore ducunt,
Quæque negant nobis, illis dant humida vitam.
Nec minus in pelago viviscunt grandia cete,
Accipiuntque cavis habitacula digna latebris:
Et quæ monstra solet rarus nunc prodere pontus,
Aptat ad informes condens solertia formas.
Quodque hominum falso credit mens nescia fœdum;
Per propriam speciem natura judice pulchrum est.
Ergo ubi completis fulserunt omnia rebus,
Ornatuque suo perfectus constitit orbis;
Tum pater omnipotens æterno lumine lætum
Contulit ad terras sublimi ex æthere vultum.

Illustrans quodcunque videt : placet ipsa tuenti
Artifici factura suo, laudatque creator
Dispositum pulchro quem condidit ordine mundum.
Tum demum tali sapientia voce locuta est :
En præclara nitet mundano machina cultu :
Et tamen impletum perfectis omnibus orbem
Quid juvat ulterius nullo cultore teneri ?
Sed ne longa novam contristent otia terram,
Nunc homo formetur, summi quem tangat imago
Numinis, et nostrum, celso donatus honore,
Induat interius formosa in mente figuram.
Hunc libet erectum vultu præponere pronis,
Qui regat æterno subjectum fœdere mundum,
Bruta domet, legem cunctis ac nomina ponat,
Astra notet, cœlique vias et sidera norit,
Discat et inspectis discernere tempora signis :
Subjiciat pelagus sævum, ingenioque tenaci
Possideat quæcunque videt ; cui bestia frendens
Serviat, et posito discant mansueta furore
Imperium jumenta pati, jussique ligari
Festinent trepidi consueta in vincla juvenci.
Quoque magis natura hominis sublimior exstet,
Accipiat rectos in cœlum tollere vultus :
Factorem quærat proprium, cui mente fideli
Impendat famulam longævo in tempore vitam.
Hæc ait, et fragilem dignatus tangere terram,
Temperat humentem consperso in pulvere limum,
Moliturque novum dives sapientia corpus.
Non aliter quam nunc opifex, cui artis in usu est
Flectere laxatas per cuncta sequacia ceras,

Et vultus implere manu, seu corpora gypso
Fingere, vel segni speciem componere massa.
Sic pater omnipotens victurum protinus arvum
Tractat, et in lento meditatur viscera cœno.
Hinc arcem capitis sublimi in vertice signat,
Septiforem vultum rationis sensibus aptans,
Olfactu, auditu, visu, gustuque potentem.
Tactus erit solus, toto qui corpore judex
Sentiat, et proprium spargat per membra vigorem.
Flexilis arctatur recavo sic lingua palato,
Pressus ut in camera pulsantis verbere plectri
Percusso resonet modulatus in aere sermo.
Exin succiduum porrecto in corpore pectus
Spargit ramosas post brachia fortia palmas.
Succedit stomacho medius, qui tegmine molli
Inter utrumque latus foveat vitalia, venter.
Dividuam partem femur excipit, aptius ut se
Alternus moveat duplicato poplite gressus.
At parte ex alia, fingit quam conditor unus,
Occipiti submissa suo descendere cervix
Incipit, et vastos compagibus addere nervos.
Spina rigens crebris inter commercia nodis
Diffundit duplicem costarum ex ordine cratem.
Pars interna novos vitæ formatur ad usus,
Naturale parant tegmen vitalia cordi,
Massaque congestis pendens absconditur extis.
Additur his tenui pascendus ab aere pulmo,
Qui concepta trahens lenti spiramina flatus,
Accipiat reddens, reddat quas sumpserit auras,
Inque vicem crebro ellatur anhelitus haustu

Dextra tenet jecoris vegetandum sanguine fontem,
Quo clausum venæ spargunt per viscera flumen.
Lienis lævam sortitur regula partem,
Qua crines perhibent unguesque recrescere sectos.
Nec concisa dolent; hinc nunc augmenta resumunt
Quæ vivunt sensuque carent in corporis usu.
Postquam perfectæ jacuit novitatis imago,
Formatumque lutum speciem pervenit in omnem;
Vertitur in carnem limus, durataque molles
Visceribus mediis traxerunt ossa medullas.
Inseritur venis sanguis, vivoque colore
Inficit ora rubor; toto tum corpore pallor
Pellitur, et niveos depingit purpura vultus.
Inde ubi perfectis consuescit vivere membris
Totus homo, et sumant calefacta ut viscera solam
Exspectant animam, puro quam fonte creator
Promat, et erectos recturam mittat in artus:
Lenem perpetuo flatum profundit ab ore,
Inspiratque homini; quem protinus ille receptum
Attrahit, et crebri discit spiraminis auras.
Postquam nascentem solers prudentia sensum
Imbuit, et puro rationis lumine fulsit,
Surgit, et erectis firmat vestigia plantis.
Tum varias mundi species, cœlique figuras
Mirantem, tali compellat voce creator:
Hæc quæ mundanis cernis pulcherrima rebus
Incrementa novis, ornatum tensa per orbem,
Solus habe, totisque prior dominare fruendo.
Tu mihi, cuncta tibi famulentur; maximus ordo est,
Te parere pio qui subdidit omnia patri.

Non species ullæ, nec numina vana colantur,
Non si quid cœlo sublime novumque coruscat,
Non quæ vel terris vivunt formata, vel undis,
Nec quod forte premens prohibet natura videri.
Usibus ista tuis, non cultibus, esse memento,
Præcellens factis factorem pronus adora.

Interea sextus noctis primordia vesper
Rettulit, alterno depellens tempore lucem:
Dumque petunt dulcem spirantia cuncta quietem,
Solvitur et somno laxati corporis Adam.
Cui pater omnipotens pressum per corda soporem
Jecit, et immenso tardavit pondere sensus,
Vis ut nulla queat sopitam solvere mentem.
Non si forte fragor securas verberet aures,
Nec si commoto cœlum tunc intonet axe,
Sed nec pressa manu rupissent membra quietem.
Tum vero cunctis costarum ex ossibus unam
Subducit lævo lateri, carnemque reponit.
Erigitur pulchro genialis forma decore,
Inque novum subito procedit femina vultum.
Quam Deus æterna conjungens lege marito,
Conjugii fructu pensat dispendia membri.

Istius indicium somni mors illa secuta est,
Sponte sua subiit sumpto quam corpore Christus.
Qui cum passurus ligno sublimis in alto
Penderet nexus, culpas dum penderet orbis,
In latus extensi defixit missile lictor.
Protinus exsiliens manavit vulnere lympha,
Qua vivum populis jam tum spondente lavacrum,
Fluxit martyrium signans et sanguinis unda.

Inde quiescenti, gemina dum nocte jaceret,
De lateris membro surgens Ecclesia nupsit.
Principio rector tanti sacrare figuram
Disponens vincli, nectit connubia verbo :
Vivite concordi studio, mundumque replete,
Crescat longævum felici semine germen,
Non annis numerus, vitæ nec terminus esto.
Progeniem sine fine dedi, quam tempore toto
Aspicies, generi primus qui poneris auctor.
Pronepos eductos spargens per secla nepotes
Viventes numeret proavos, inque ora parentum
Ducant annosi natorum pignora nati.
Tum lex conjugii, toto venerabilis ævo,
Intemerata suo servabitur ordine cunctis.
Femina persistat, de viscere sumpta virili,
Conjugio servare fidem : nec separet alter
Quod jungit sociatque Deus : patremque relinquat
Et matrem justo constrictus amore maritus.
Ista parentales non rumpant vincula curæ,
Vita sed amborum carnem teneatur ad unam.
Taliter æterno conjungens fœdere vota,
Festivum dicebat hymen, castoque pudori
Concinit angelicum juncto modulamine carmen.
Pro thalamo paradisus erat, mundusque dabatur
In dotem, et lætis gaudebant sidera flammis.
Est locus Eoo mundi servatus in axe
Secretis natura tuis, ubi solis ab ortu
Vicinos nascens aurora repercutit Indos.
Hic gens ardentem cœli subterjacet axem,
Quam candor fervens albenti ex æthere fuscat.

His semper lux pura venit, cœloque propinquo
Nativam servant nigrantia corpora noctem.
Attamen in tetris splendentia lumina membris
Captivo fulgore micant, visuque nitente
Certior accrescit pullatis vultibus horror :
Cæsaries incompta riget, quæ crine supino
Stringitur, ut refugo careat frons nuda capillo.
Sed magnum nostros quidquid defertur ad usus,
His totum natura dedit telluris opimæ.
Quidquid odoratum pulchrumque adlabitur, inde est.
Concolor his ebeni piceo de fomite ramus
Surgit, et hic eboris munus quæ porrigit orbi,
Informis pulchros deponit bellua dentes.
Ergo ubi transmissis mundi caput incipit Indis,
Quo perhibent terram confinia jungere cœlo,
Lucus innaccessa cunctis mortalibus arce
Permanet, æterno conclusus limite, postquam
Decidit expulsus primævi criminis auctor :
Atque reis digne felici a sede revulsis,
Cœlestes hæc sancta capit nunc aula ministros.
Non hic alterni succedit temporis unquam
Bruma, nec æstivi redeunt post frigora soles,
Excelsus calidum cum reddit circulus annum,
Vel densante gelu canescunt arva pruinis.
Hic ver assiduum cœli clementia servat,
Turbidus auster abest, semperque sub aere sudo
Nubila diffugiunt jugi cessura sereno.
Nec poscit natura loci quos non habet imbres,
Sed contenta suo dotantur germina rore.
Perpetuo viret omne solum, terræque tepentis

Blanda nitet facies. Stant semper collibus herbæ,
Arboribusque comæ : qua cum se flore frequenti
Diffundunt, celeri confortant germina succo.
Nam quidquid nobis toto nunc nascitur anno,
Menstrua maturo dant illic tempora fructu.
Lilia perlucent nullo flaccentia sole,
Nec tactus violat violas, roseumque ruborem
Servans perpetuo suffundit gratia vultu.
Sic cum desit hiems, nec torrida ferveat æstas,
Fructibus autumnus, ver floribus occupat annum.
Hic quæ donari mentitur fama Sabæis
Cinnama nascuntur, vivax quæ colligit ales,
Natali cum fine perit, nidoque perusta
Succedens sibimet quæsita morte resurgit :
Nec contenta suo tantum semel ordine nasci,
Longa veternosi renovatur corporis ætas,
Incensamque levant exordia crebra senectam.
Illic desudans fragrantia balsama ramus
Perpetuum promit pingui de stipite fluxum.
Tum si forte levis movit spiramina ventus,
Flatibus exiguis, lenique impulsa susurro,
Dives silva tremit foliis, ac flore salubri,
Qui sparsus late suaves dispensat odores.
Hic fons perspicuo resplendens gurgite surgit.
Talis in argento non fulget gratia, tantam
Nec chrystalla trahunt nitido de frigore lucem.
Margine riparum virides micuere lapilli,
Et quas miratur mundi jactantia gemmas,
Illic saxa jacent : varios dant arva colores,
Et naturali campos diademate pingunt.

Eductum leni fontis de vertice flumen
Quattuor in largos confestim scinditur amnes.
Euphratem, Tigrimque vocant, qui limite certo
Longa sagittiferis faciunt confinia Parthis.
Tertius inde Geon, Latio qui nomine Nilus
Dicitur, ignoto cunctis plus nobilis ortu.
Cujus in Ægyptum lenis perlabitur unda,
Ditatura suam certo sub tempore terram.
Nam quoties tumido perrumpit flumine ripas
Alveus, et nigris campos perinundat arenis,
Ubertas taxatur aqua, cœloque vacante
Terrestrem pluviam diffusus porrigit amnis.
Tunc inclusa latet lato sub gurgite Memphis,
Et super absentes possessor navigat agros.
Terminus omnis abest, æquatur judice fluctu
Annua suspendens contectus jurgia limes.
Gramina nota videt lætus subsidere pastor,
Inque locum pecorum viridantis jugere campi
Succedunt nantes aliena per æquora pisces.
Ast postquam largo fecundans germina potu
Lympha maritavit sitientis viscera terræ,
Regreditur Nilus, sparsasque recolligit undas:
Fit fluvius pereunte lacu: tum redditur alveo
Pristina riparum conclusis fluctibus obex;
Donec dividuum spargens per devia finem
Gurgite septeno patulum percurrat in æquor.
Sed cur dicatur tantum mundana latere
Vertex Nile tuus? Nam qui nesciris ab ortu,
Non solus, sed quartus eras, diffusus ab illo
Despicit excelso qui flumina cuncta meatu,

Ipsius atque pater pelagi supereminet omnes,
Quas montes, quas plana vomunt, quas nubila, lymphas.
Quartus Physon erit, quem possidet India Gangem,
Motus odorifero quoties qui vertice crevit,
Deciduas pulchro quas spargunt flumina luco,
Prælambens furatur opes, et gurgite nostrum
Ducit in exsilium. Nam ripa largus utraque
Amnibus ut nostris enodes ferre papyros,
Aut scirpos algasque leves deducere mos est.
Excrementa trahens magnus sic ditia Ganges
Hoc etiam donat mundo, quod projicit alveo.
Interea primi, summus quos junxerat auctor,
In paradisiaca ponuntur sede parentes.
Tum rector tali proponit præmia lege:
O summum factoris opus, quos sola creavit
Nostra manus, nasci cum cætera voce juberem!
Aspicitis quanto pulcherrimus ubere lucus
Per multas famuletur opes? hæc cuncta dabuntur
Ad vestros sine fine cibos, hinc esca petatur:
Sumite concessas fruges, et carpite poma.
Hic operis dulci studio secura quiescat
Deliciisque fruens longævo in tempore vita.
Est tamen in medio nemoris quam cernitis arbor,
Notitiam recti pravique in germine portans:
Hujus ab accessu vetitum restringite tactum.
Nec vos forte premat temeraria discere cura
Quod doctor prohibet: melius nescire beatis
Quod quæsisse nocet; testor quem fecimus orbem,
Quod si quis vetitum præsumpserit arbore pomum,

Audax commissum mortis discrimine pendet.
Non immensa loquor, facilis custodia recti est,
Servator vitam, finem temerator habebit.
Accipiunt juvenes dictum, lætique sequuntur,
Spondentes cuncto servandam tempore legem:
Sic ignara mali novitas, nec conscia fraudis
Incautas nulla tetigit formidine mentes.
At pater instructos sacrata in sede relinquens,
Lætus in astrigeram cœli se sustulit aulam.

ALCIMI

ED. AVITI

POEMATUM

LIBER SECUNDUS.

DE ORIGINALI PECCATO.

Utitur interea, venturi nescia casus,
Libertas secura bonis, fruiturque beata
Ubertate loci; largos hinc porrigit illis
Tellus prompta cibos: fruticis quin alter opimi
Sumitur assiduus tenui de cespite fructus.
At si curvati fecundo pondere rami
Mitia submittunt sublimi ex arbore poma,
Protinus in florem vacuus turgescere palmes
Incipit, inque novis fetum promittere gemmis.
Jam si prædulces delectat carpere somnos,
Mollibus in pratis, pictaque recumbitur herba.
Cumque voluntati sacrum nemus offerat omnes
Delicias, opibusque novis se præbeat amplum:
Sic epulas tamen hi capiunt, escamque requirunt,
Compellit quod nulla fames, nec lassa fovendo
Indigus hortatur compleri viscera venter.
Et nisi concessum libuisset noscere pastum,

Esuries ignota cibos non posceret ullos,
Nullaque constantem fulcirent pabula vitam.
Corpora nuda vident, et mutua cernere membra
Non pudet, atque rudis fœdum nil sentit honestas.
Non natura hominis, vitium sed causa pudori est.
Nam quæcunque bonus formavit membra creator,
Ut pudibunda forent, carnis post compulit usus.
Tunc mens intactos servabat candida visus,
Angelicæ qualis narratur gloria vitæ
Sidereas habitare domos: qualemque redemptis
Spondet reddendam mortis post tempora Christus,
Queis neque conjugium curæ, nec fœdere turpi
Miscebit calidos carnalis copula sexus.
Cessabit gemitus, luctus, metus, ira, voluptas,
Fraus, dolor, atque dolus, mœror, discordia, livor.
Nullus egens, nullus cupiens, sed pace sub una
Sufficiet cunctis sanctorum gloria Christus.
His protoplastorum sensum primordia sacra
Continuere bonis: donec certamine primo
Vinceret oppressos fallacem culpa per hostem.
Angelus hic dudum fuerat, sed crimine postquam
Succensus proprio, tumidos exarsit in ausus,
Se semet fecisse putans, suus ipse creator
Quod fuerit, rabido concepit corde furorem,
Auctoremque negans: Divinum consequar, inquit,
Nomen et æternam ponam super æthera sedem,
Excelso similis, summis nec viribus impar.
Talia jactantem præcelsa potentia cœlo
Jecit, et ejectum prisco spoliavit honore.
Quique creaturæ præfulsit in ordine primus,

Primas venturo pendet sub judice pœnas.
Quandoquidem gravior talem sententia punit,
Quem mirum cecidisse putes. Nam crimen acerbat
Auctor: in ignaro minor est peccante reatus;
Durius atque malum, quod major fecit, habetur.
Sed quod vivaces pertendit in abdita sensus,
Quodque futura videt, rerumque arcana resignat,
Angelici fervens superest natura vigoris.
Horrendum dictu, signisque notabile monstrum.
Nam quidquid toto dirum committitur orbe,
Iste docet, scelerumque manus ac tela gubernat,
Pugnat et occultus per publica crimina latro.
Et nunc sæpe hominum, nunc ille in sæva ferarum
Vertitur ora, novos varians fallentia vultus.
Alitis interdum subito mentita volantis
Fit species, habitusque iterum confingit honestos.
Apparens nec non pulchro ceu corpore virgo,
Pertrahit ardentes obscena in gaudia visus.
Sæpe etiam cupidis argentum immane corusca,
Accenditque animos auri fallentis amore,
Delusos fugiens vano phantasmate tactus.
Nulli certa fides constat, vel gratia formæ:
Sed quo quemque modo capiat, teneatque nocendo;
Opportuna dolis, clausæque accommoda fraudi
Sumitur exterior simulata fronte figura.
Major adhuc etiam sævo permissa potestas,
Ut sanctum vincat: dudum collata creato
Sic natura valet, rectam quam condidit auctor,
Sed post ad pravos subversor transtulit usus.
  Vidit ut iste novos homines in sede quieta

Ducere felicem nullo discrimine vitam;
Lege sub accepta Domino famularier orbis,
Subjectisque frui placida inter gaudia rebus:
Commovit subitum zeli scintilla vaporem,
Excrevitque calens in sæva incendia livor.
Vicinus tunc forte fuit, quo concidit alto:
Lapsus, et innexam traxit per prona catervam.
Hoc recolens, casumque premens in corde recentem,
Plus doluit periisse sibi, quod possidet alter.
Tunc mixtus cum felle pudor sic pectore questus
Explicat, et tali suspiria voce relaxat.
Proh dolor, hoc nobis subito consurgere plasma,
Invisumque genus nostra crevisse ruina!
Me celsum virtus habuit, nunc ecce rejectus
Pellor, et angelico limus succedit honori.
Cœlum terra tenet, vili compage levata
Regnat humus, nobisque perit translata potestas.
Non tamen in totum periit: pars magna retentat
Vim propriam, summaque cluit virtute nocendi.
Nec differre juvat; jam nunc certamine blando
Congrediar, dum prima salus, experta nec ullos
Simplicitas ignara dolos, ad tela patebit.
Et melius soli capientur fraude, priusquam
Fecundam mittant æterna in secula prolem.
Immortale nihil terra prodire sinendum est;
Fons generis pereat, capitis dejectio victi
Semen mortis erit; pariat discrimina leti
Vitæ principium; cuncti feriantur in uno:
Non faciet vivum radix occisa cacumen.
Hæc mihi dejecto tandem solatia restant.

Si nequeo clausos iterum conscendere cœlos,
His quoque claudentur; levius cecidisse putandum est,
Si nova perdatur simili substantia casu,
Si comes excidii subeat consortia pœnæ,
Et quos prævideo nobiscum dividat ignes.
Sed ne difficilis fallendi causa putetur,
Hæc monstranda via est, dudum quam sponte cucurri
In pronum lapsus : quæ me jactantia regno
Depulit, hæc hominem paradisi limine pellet.
Sic ait, et gemitus vocem clausere dolentis.
  Forte fuit cunctis animantibus altior astu
Æmulus arguto callet qui pectore serpens :
Hujus transgressor de cunctis sumere formam
Eligit, aerium circumdans tegmine corpus,
Inque repentinum mutatus tenditur anguem :
Fit longa cervice draco, splendentia colla
Depingit maculis, teretisque volumina dorsi
Asperat, et squamis per terga rigentibus armat.
Qualis vere novo, primis cum mensibus æstas
Præmittit lætos post frigora pigra tepores,
Evadens veterem reparatis motibus annum,
Et siccum nitido discingens corpore tegmen,
Procedit coluber, terrarumque abdita linquens,
Præfert terribilis metuendum forma decorem.
Dira micant oculi : tum lumine visus acuto
Lætior optatum discit consuescere solem.
Nunc simulat blandum, crebro ceu carmine fauces
Ludunt, et trifidam dispergunt guttura linguam.
  Ergo ut vipeream malesuada fraude figuram
Induit, et totum fallax processit in anguem,

Pervolat ad lucum. Nam forte rubentia læti
Carpebant juvenes viridi de palmite mala.
Tum veritus serpens, firma ne mente virili
Non queat injecto subvertere corda veneno,
Arboris erectæ spiris reptantibus alto
Porrigitur, tractumque suum sublimibus æquans,
Auditum facilem leni sic voce momordit:
O felix, mundique decus pulcherrima virgo,
Ornat quam roseo præfulgens forma pudore,
Tu generi ventura parens, te maximus orbis
Exspectat matrem: tu prima et certa voluptas
Solamenque viri, sine qua non viveret ipse,
Ut major, sic jure tuo subjectus amori
Prædulcis conjunx, reddes cui fœdere prolem.
Vobis digna datur paradisi in vertice sedes,
Vos subjecta tremit famulans substantia mundi:
Quod cœlum, quod terra creat, quod gurgite magno
Producit pelagus, vestros confertur in usus.
Nil natura negat, datur ecce in cuncta potestas.
Non equidem invideo, miror magis; ut tamen una
Contineat liber dulci super arbore tactus,
Scire velim quis dira jubet, quis talia dona
Invidet, et rebus jejunia miscet opimis.
Hæc male blanditam finxerunt sibila vocem.
Quis stupor, o mulier, mentem caligine clausit
Cum serpente loqui? verbum committere bruto
Non pudet, ut vestram præsumat bellua linguam,
Et monstrum pateris, responsumque insuper addis?
Ergo ubi mortiferum seductilis Eva venenum
Auribus accipiens cladi consensit iniquæ,

Tunc ad serpentem vano sic ore locuta est:
Suavibus o pollens coluber dulcissime dictis,
Non, ut rere, Deus nobis jejunia suasit,
Nec prohibet largo curari corpora pastu.
Ecce vides epulas totus quas porrigit orbis:
Omnibus his licito genitor promptissimus uti
Præstitit, et totas vitæ laxavit habenas.
Hæc sola est, nemoris medii quam perspicis, arbor
Interdicta cibis; hæc tantum tangere poma
Non licitum; dives præsumit cætera victus.
Nam si libertas temerarit noxia legem,
Jurans terribili prædixit voce creator
Quadam nos statim luituros morte reatum.
Quid vocitet mortem, tu nunc, doctissime serpens,
Pande libens, quoniam rudibus non cognita res est.
Callidus inde draco, et lethi tum sponte magister
Interitum docet, et captas sic fatur ad aures:
Terroris vacuum formidas femina nomen.
Non veniet vobis rapidæ sententia mortis:
Sed pater invisus sortem non contulit æquam,
Nec vos scire dedit, sibimet quæ summa reservat.
Quid juvat ornatum comprendi aut cernere mundum
Et cæcas misero concludi carcere mentes?
Corporeos pariter sensus oculosque patentes
Sic brutis natura creat. Sol omnibus unus
Servit, et humano non distat bellua visu.
Consilium mage sume meum, mentemque supernis
Insere, et erectos in cœlum porrige sensus.
Namque hoc quod vetitum formidas tangere pomum
Scire dabit quæcunque pater secreta reponit.

Tu modo suspensos tantum ne contine tactus,
Ne captiva diu frænetur lege voluptas.
Namque ubi divinum libaveris ore saporem,
Mox purgata suo facient te lumina visu
Æquiparare deos, sic sancta ut noxia nosse,
Injustum recto, falsum discernere vero.
Talia fallaci spondentem dona susurro
Credula submisso miratur femina vultu.
Et jam jamque magis cunctari ac flectere sensum
Incipit, et dubiam letho plus addere mentem.
Ille ut vicino victam discrimine sensit,
Atque iterum nomen memorans arcemque deorum,
Unum de cunctis lethali ex arbore malum
Detrahit, et suavi pulchrum perfundit odore,
Conciliat speciem, nutantique insuper offert.
Nec spernit miserum mulier male credula munus,
Sed capiens manibus pomum lethale retractat:
Naribus interdum labiisque patentibus ultro
Jungit, et ignorans ludit de morte futura.
O quoties ori admotum compuncta retraxit,
Audacisque mali titubans sub pondere dextra
Cessit, et effectum sceleris tremefacta refugit!
Dis tamen esse cupit similis, serpitque venenum
Ambitione nocens; rapiunt contraria mentem,
Hinc amor, inde metus: pulsat jactantia legem,
Interdumque etiam lex subvenit; æstuat anceps
Dividui cordis dura inter prælia fluctus.
Nec tamen incentor desistit fallere serpens:
Ostentatque cibum dubiæ, queriturque morari,
Et juvat in lapsum pendentis prona ruinæ.

Ut tandem victæ gravior sententia sedit,
Æternam tentare famem per criminis escam,
Serpentem satiare cibo, quem sumeret ipsa,
Annuit insidiis, pomumque vorata momordit.
Dulce subit virus, capitur mors horrida pastu.
Continet hic primum sua gaudia callidus anguis,
Dissimulatque ferum victoria sæva triumphum.
Ignarus facti diversa parte revertens
Adam, diffusi lætus per gramina campi
Conjugis amplexus atque oscula casta petebat.
Occurrit mulier, cui tunc audacia primum
Flabat femineos animosa in corda furores.
Et sic orsa loqui (semesum namque gerebat
Asservans misero pomum exitiale marito.)
Sume cibum dulcis, vitali ex germine, conjunx,
Quod similem summo faciet te forte tonanti,
Numinibusque parem; non hoc tibi nescia donum,
Sed jam docta fero; primus mea viscera gustus
Attigit, audaci dissolvens pacta periclo.
Crede libens: mentem scelus est dubitasse virilem,
Quod mulier potui; præcedere forte timebas,
Saltem consequere, atque animos attolle jacentes.
Lumina cur flectis? cur prospera vota moraris?
Venturoque diu tempus furaris honori?
Hæc effata dabat victuræ fercula mortis,
Intereunte anima lethum dum crimina pascunt.
Accipit infelix malesuadi verba susurri,
Inflexosque retro dejecit ad ultima sensus.
Non illum trepidi concussit cura pavoris,
Nec quantum gustu cunctata est femina primo:

Sed sequitur velox, miseræque ex conjugis ore
Constanter rapit inconstans dotale venenum,
Faucibus et patulis inimicas porrigit escas.
Vix uno pomum libarat succida morsu
Ingluvies, summumque dabat vix esca saporem;
Ecce repentinus fulgor circumstitit ora,
Lugendoque novos respersit lumine visus.
Non cæcos natura dedit, nec luminis usu
Privatam faciem peperit perfectio formæ.
Nunc mage cæcus eris, cui jam non sufficit illud
Noscere, quod tantus voluit te nosse creator.
Ad vitam vobis cernendi facta facultas:
Vos etiam lethum, vestra sed sponte, videtis
Tum patuisse gemunt oculos; nam culpa rebellis
Fulsit, et obscenos senserunt corpora motus.
Tunc primum nudos (dubium quid dicere possim)
Exstinctus natusne pudor circumspicit artus.
Erubuit propriæ jam mens sibi conscia culpæ,
Regnavitque suis carnis lex indita membris.
Namque hinc posteritas vitiato germine duxit
Artibus illicitis cognoscere velle futura,
Arcanisque sacris tardos immittere sensus:
Edita vel cœlo, vel tetro mersa profundo
Rimari, et cautas naturæ rumpere leges.
Quærere nunc astris quo quisquam sidere natus,
Prospera quam ducat restantis tempora vitæ,
Dissimilem paribus proventum discere signis.
Nec non et geminos uno sub tempore fusos,
Quos indiscretus luci produxerit ortus,
Motibus adversis varia sub sorte notare.

Indigetes quosdam stellis ascribere divos,
Junior antiquis ætas quos prætulit astris :
Atque infernali jam dudum nocte sepultis
Vana per immensum disponere nomina cœlum.
Jam magicam digne valeat quis dicere fraudem,
Occultas tacito tentantem pectore vires,
Divinis jungi virtutibus et cupientem?
Legifer ut quondam vates, sub rege superbo,
Dum nova monstraret jussi miraculi signi,
Commovit livore magos, ut talia tentent,
Accumulentque suas zelo fervente ruinas.
Illis suppeteret recta si forte potestas,
Demere, non etiam festinent addere monstra.
Æmula sed signis tantum, non viribus æqua,
Quod removere nequit, duplicavit justius ira.
Hinc est laudato quod possunt carmine Marsi,
Cum tacita sævos producunt arte dracones,
Absentes et sæpe jubent confligere secum.
Tunc ut quisque gravem bello præsenserit hydrum,
Aspidis aut duræ clausas cognoverit aures,
Concutit interius secreti carminis arma :
Protinus et lassis verbo luctante venenis,
Mox impune manu coluber tractatur inermis,
Et morsus tantum, non virus, in angue timetur.
Interdum perit incantans, si callida surdus
Adjuratoris contempsit murmura serpens.
Hoc quoniam de matre trahunt, et origine prima,
Anguineæ fraudis quod sic, linguæque periti,
Mutua per speciem reddunt commercia fandi.
Nec minus his pulsat contraria cura salutis,

Angit præscitus ducti quos terminus ævi :
Cum tamen eductas infernis sedibus umbras
Colloquium miscere putent, et nota referre.
Spiritus erroris sed qui bacchatur in illis,
Ad consulta parat vanis responsa figuris.
Et ne porrecto dicantur singula verbo ;
Præsenti illusus, damnabitur ille perenni
Judicio, quisquis vetitum cognoscere tentat.
  Nec jam sola fuit scrutatrix Eva malorum :
Dicam nunc aliam, tali quæ peste laborans,
Et conjuncta viro, proprium non vicerit Adam.
Peccandi quasdam fervor succenderat urbes,
Civica permittens laxatis crimina frænis.
Incestus pro lege fuit, totumque libido
Jus habuit, regni sedem metata voluptas
Indigenas populos domina sub carne tenebat :
Et scelerum studio, fida quod plebe localis
Dudum parendi promptis respublica jussit,
Abstinuisse nefas, et non peccasse pudendum
Credebant omnes, facinus quos junxerat unum.
Talibus offensus judex atque arbiter orbis
Cum fureret, flammasque loco, finemque pararet,
Quemdam dissimilem cunctis, tectoque latentem,
Qui tunc forte fuit propria peregrinus in urbe,
Atque inter multos solum sic alloquitur Loth :
Oppida lascivo jamdudum plena furore
Respergunt cœlum maculis, nostrasque fatigant
Quamvis obstructas scelerum clamoribus aures.
Imminet exitium : tellus succensa reatu
Ignibus ardebit ; restinguet fulminis imber

Quæ non exstinxit ferventia crimina fletus.
Ipsa in perpetuas solvetur terra favillas,
Quæ vivos cineres et post incendia servans,
Sicque solum fingens, leviter si calce teretur,
Ad minimum fugiens discedet pallida tactum.
Tu nunc linque domum, perituras desere terras
Et rea cum dignis subsidant arva colonis.
Nec tete impendens lethum conjunxerit illis,
Non junxit quos vita. Tibi solatia conjunx
Præbeat; hac tantum socia contentus abito.
Accelerate fugam; tendatur tramite recto,
Neu subvertendas quisquam respexerit urbes.
Vos nescite malum; pœnas quicunque subibit,
Aspiciat, mortisque suæ spectacula secum
Qui meruere, ferant. Salvandis terror abesto.
Hæc pater: ast illi properant abscedere terra,
Inciduntque moras, crudeliaque arva relinquunt.
Cœperat obduci victum caligine densa,
Atque ignota prius demittere murmura cœlum.
Nec sic ut tonitru crebro cum percitus æther
Ostentat pavidis innoxia fulmina terris:
Sed prorsus finale malum stridore minaci
Tetra per aerios mittebant signa tumultus.
Tendebant moniti simul, et mandata tenentes
Concessam rectis ad sedem vultibus ibant.
Callidus alta petens sed qui subverterat Evam
Serpens, femineam consuetus tangere mentem,
Hic quoque formidans animum tentare virilem,
Conjugis inspirat votis, ut nosse ruinas
Vellet, et evasas visu deprendere clades.

O demens animi, cui jam non sufficit unam
Succubuisse dolo : caruit jam parte bonorum
Quæ mala cognovit. Si non exempla priorum
Terrent, exemplum fies; nostroque timori
Vel post te pereat secreti dira cupido.
Illicitum quod scire fuit, vetitumque tueri,
Respicies tantum, nec narratura videbis.
Ergo ubi majorem vicina ex urbe tumultum
Accepit mulier, vultum deflexa retortum,
Vix primo in visu restrictis motibus hæsit,
Cernere desistens cum cœperat : inde gelato
Sanguine marmoreus perfudit viscera torpor,
Diriguere genæ, pallor novus inficit ora.
Lumina non clausit, non saltem concidit illo
Pondere, quo pulsant demissa cadavera terram.
Sed stetit horrendo perlucens massa nitore,
Servavitque suam species decepta figuram.
Nec facile ut nosses, vitrum, lapis, anne metallum
Succedens homini, si non sal fauce notetur.
Ex tunc insipido mulier præventa reatu
Plus salsum sine mente sapit, quæ pungere sensus,
Exemplique potest salibus condire videntes.
Hoc tamen hic magnum, quod non inflectitur iste,
Nec sequitur sociam, fortis nec vincitur Adam.
Credo equidem melius, quod non occurrerit uxor
Enarrare viro; nam si comperta referret,
Forsan et hunc visu suasisset temnere jussa,
Ceu proprium gustu fecit primæva virago :
Quæ postquam sese pariter comitemque fefellit,
Et nondum natam percussit vulnere prolem.

Tum victor serpens certamine lætus ab ipso,
Puniceam crispans squamoso in vertice cristam,
Jam non dissimulans, quem presserat ante, triumphum,
Acrior insultat victis, et talibus infit.
En divina manet promissæ gloria laudis.
Quidquid scire meum potuit, jam credite vestrum est:
Omnia monstravi, sensumque per abdita duxi;
Et quodcunque malum solers natura negabat,
Institui, dextrisque dedi conjungere lævam.
Isthinc perpetua vosmet mihi sorte dicavi.
Nec Deus in vobis, quanquam formaverit ante,
Jam plus juris habet: teneat quod condidit ipse;
Quod docui, mecum est: major mihi portio restat.
Multa creatori debetis, plura magistro.
Dixit, et in media trepidos caligine linquens,
Confictum periit linquens per nubila corpus.

ALCIMI

ED. AVITI

POEMATUM

LIBER TERTIUS.

DE SENTENTIA DEI.

TEMPUS erat, quo sol medium transcenderat axem,
Pronus et excelsi linquens fastigia centri,
Vicina jam nocte leves præmiserat auras.
Illis sed major curarum volvitur æstus,
Ferventesque tenent male conscia corda dolores.
Utque pudor capto detorsit lumina sensu,
Reppulit et miseros alterno a corpore visus,
Nec jam secura præstatur luce tueri
Signatam fixo peccati stigmate carnem,
Indumenta petunt, foliis ut mollibus ambo
Membra tegant, nudumque malum de veste patescat.
Umbrosis propter stabat ficulnea ramis,
Frondentes diffusa comas; quas protinus Adam
Humentem capiens raso de cortice librum,
Assuit, et viridi solatur veste ruborem.
Induitur simili mulier lacrymabilis arte, et
Quos pavit misero fallax insania pomo,

Vestivit folio : sæva quos arbore nudos
Reddidit, hos gravius tenui super arbore texit.
Et tamen adveniet tempus, cum crimina ligni
Per lignum sanet purgetque novissimus Adam,
Materiamque ipsam faciat medicamina vitæ;
Qua mors invaluit, letho delebere, lethum.
Æreus excelso pendebit stipite serpens,
Cumque venenatum simulaverit, omne venenum
Purget, et antiquum perimat sua forma draconem.
Interea genitor viridis per mollia luci
Rorantes sudo capiebat ab aere ventos.
Protinus attonitis senserunt auribus ambo
Præsentem dominum; tristi tum luce perosam
Expavere diem detecto in crimine testem.
Illos nam vastis specubus si forte barathrum
Panderet, aut subitum tellus monstraret hiatum,
Non pigeat prono trepidos descendere saltu.
Et si suppeteret jam tum sententia lethi,
Hanc etiam raperet solandi cura pudoris.
Seu flammis lymphisve darent, vel pectora ferro
Appeteret vindex crudeli vulnere dextra.
Sic miseri mortem nondum discrimine notam,
Cum primum meruere, volunt : exordia finem
Signant, et similes prædicunt affore luctus,
Ultima cum mundi senium consumpserit ætas,
Cumque repentinus percusserit omnia fulgor
Cœlorum, clangente tuba, qua nuntius ante
Judicis adventu concussum terreat orbem.
Tunc cum sinceros pastor discreverit agnos,
Hœdis disparibus diversa in parte locatis,

Per medium dirimente chao, quod fluctibus implet
Sulphureis volvens undosa incendia gurges,
Flammarum stagnante lacu, quo fervida quondam
Dicitur attracto nubes sodomitica nimbo
Guttatim sparsum fudisse in crimina fulmen,
Cum plueret nox tetra focos, cœloque caducæ
Aera per calidum stillarent undique mortes.
Taliter ignifero missi de fonte gehennæ
Fluxerunt tristes aliena in secula rivi.
At quos terribili judex decreverit hora
Vivere post mortem, pœnaque ardore perenni,
Subtrahet optato gravior sententia letho.
Cumque foret melius, dispersis corpora membris
Carpere perpetuum dura sub morte soporem,
Invitos tamen urna vomet, queis sola voluntas
Rursus posse mori, sensuque carere dolendi.
Sed sic accipiet ferventis flamma camini,
Ambustura suas ut nunquam finiat escas.
At primi interea juvenes conamine casso
Per deserta ruunt, tutoque abscondita furto
Facta putant, cæcis optant latuisse tenebris.
Quid juvat, infelix, oculos a judice flecti?
Te judex cernit: nolis cur ipse videre,
Cum videare palam? Solem non fuscat amœnum,
Si depressa gravem formidant lumina lucem,
Debilis et clarum visus non sustinet orbem.
Tum sic terribili primum Deus increpat ore,
Atque ubi sit miserum noscens interrogat Adam.
Qui trepidam pavido producens pectore vocem,
Vix hæc pauca refert. Tuus, o celsissime, terror

Mentibus insidens latebram tentare coegit.
Nam quia nuda forent inopertis corpora membris,
Erubui, fateor, cœlumque per abdita fugi.
Et quis, ait, subitum concussit corde pudorem?
Visus et unde novus? nam te nec vellera dudum,
Nec contexta prius velavit tegmine vestis.
Forma rudis, proprio melius contenta decore,
Judice se placuit; sed postquam fœdere rupto
Interdicta tuus perstrinxit germina gustus,
Naturale tibi tegmen non sufficit unum;
Hactenus et nudis nunc denudata patescunt,
Arguit obscenus quia turpia corpora motus.
Ille ubi convictum claro se lumine vidit,
Prodidit et totum discussio justa reatum,
Non prece submissa veniam pro crimine poscit,
Non votis lacrymisve rogat, nec vindice fletu
Præcurrit meritam supplex confessio pœnam.
Jamque miser factus, nondum miserabilis ille est,
Erigitur sensu, tumidisque accensa querelis
Fertur in insanas laxata superbia voces.
Heu male perdendo mulier conjuncta marito!
Quam sociam misero prima sub lege dedisti,
Hæc me consiliis vicit devicta sinistris,
Et sibi jam notum persuasit sumere pomum.
Ista mali caput est; crimen surrexit ab ista.
Credulus ipse fui, sed credere tu docuisti,
Connubium donans, et dulcia vincula nectens.
Atque utinam felix, quæ quondam sola vigebat,
Cælebs vita foret, talis nec conjugis unquam
Fœdera sensisset, comiti non subdita pravæ.

Hac igitur rigidi commotus mente creator
Mœrentem celsis compellat vocibus Evam.
Cur miserum labens traxisti in prona maritum?
Nec contenta tuo deceptrix femina casu,
Sublimi sensum jecisti ex arce virilem?
Illa pudens, tristique genas suffusa rubore,
Auctorem sceleris clamat decepta draconem,
Qui pomum vetito persuasit tangere morsu.
Post hæc finalem promit sententia legem,
Serpentemque reum prima sic voce notavit.
Tu coluber, cujus peccavit femina fraude,
Errorisque virum consōrtem reddidit ipsa,
Propter utrumque reus pendes quod fecit uterque:
Nec tibi sublimi constabit pectore vertex,
Callida sed pronus per terram pectora volves:
Utque fuga trepido sinuosa volumina currant,
Non gressus sed lapsus erit, teque ipse sequeris
Flexibus, et spiras viventia vincula nectent.
Tum propter suasam miserorum cordibus escam,
Tellurem captans pastu vesceris inani:
Mensibus et certis supero depulsus ab orbe,
Inclusus terris communi sole carebis.
Inter cuncta replent quæ nunc animantia mundum
Auctor mortis eris, fies gravis omnibus horror.
Præcipue infelix mulier cum prole futura,
Sic inimicitias odio currente reponet,
Semina seminibus mandent ut vota nocendi.
Insistens semper pavidæ sectabere calcem:
Conterat illa caput, victoremque ultima vincat.
Post hæc attonitam judex commotus in Evam;

At tu quæ primam violasti femina legem,
Accipe succiduum vitæ quod restat in ævum.
Imperium patiere tori, dominumque timebis,
Quem socium dederam: parebis subdita jussis,
Et curvata caput libitus assuesce viriles.
Moxque ubi concipiens fetum præsenserit alvus,
Ventris onus gemitu testaberis, ac tibi clausum
Anxia crescentem portabunt viscera fascem:
Donec transacto fastidia tempore complens,
Naturale malum partu sub vindice pendat
Producens vitam proles sic pœna parentis.
Quid diversa loquar post jam discrimina matris?
Nam cum præduro mulier confecta labore
Optatam sobolem tali produxeris ortu,
Lugebis vacuos nonnunquam orbata dolores.
Interea trepidus jam dudum sustinet Adam
Quid sibi terribilis tandem sententia servet.
Cui pater, attentis, inquit, nunc auribus et tu
Accipe quid mereare, levis quem femina vicit.
Impolluta prius pulchro sub germine tellus,
Non jam fida satis, nec puro semine simplex,
Pristina monstrabit corruptum terga per orbem;
Exemploque tuo semper tibi terra rebellans
Vepribus ac tribulis armata resistere discet.
Aut si frangenti cedens succumbet aratro,
Vomeris et fixo mordaci dente subacta est,
Pinguia decipient mentito germine culta.
Nam pro triticeo lolium consurgere fructu,
Et fictas segetes, vacuasque dolebis avenas.
Sic vix extortum producent jugera panem,

Sudore assiduo nitens quem sumat egestas,
Illecebramque cibi pœnalis vindicet esca.
Æqualem brutis facient tibi pabula vitam,
Et simul herbarum succos pastumque requirens,
Stercore consimili depressa gravabitur alvus.
Ærumnosa diu volvetur talibus ætas,
Donec præscriptum ponant tibi secula finem,
Et compacta luto solvantur tempore membra.
Limo formatus rursus redigeris in arvum.
Ante tamen proprium nati præcurrere lethum
Conspicies, pœnasque tuas in prole videbis,
Ut metuenda magis cernatur mortis imago,
Peccasse agnoscas quid sit, quid mortua fieri,
Quidve mori: ac ne quid desit tibi forte malorum,
Quæ castigandis corruptus parturit orbis,
Acrior immenso miscebitur ira dolori.
Nam cum prima tibi producent tempora natos,
Livor edax arcto certabit limite mundi:
Nec jam sufficiet vacuus qua tenditur orbis,
Totaque germanis stringetur terra duobus.
Alter in alterius consurget funera frater,
Telluremque novam cognato sanguine tinguet.
Exin posteritas varios passura labores,
Casibus in multis mortalia debita pendet,
Dum veterem ductus dissolvat terminus orbem,
Occidat omne vigens, finisque redarguat orta.
Audierat, metumque dedit conterrita tellus.
His pater exactis hœdorum pellibus ambos
Induit, et sancta paradisi ab sede rejecit.
Tunc terris cecidere simul, mundumque vacantem

Intrant, et celeri perlustrant omnia cursu.
Germinibus quanquam variis, et gramine picta,
Et virides campos, fontesque et flumina monstrans,
Illis fœda tamen species mundana putatur,
Post, paradise, tuam; totum cernentibus horret,
Utque hominum mos est, plus, quod cessavit, amatur.
Angustatur humus, strictumque gementibus orbem
Terrarum finis non cernitur, et tamen instat.
Squalet et ipse dies, causantur sole sub ipso
Subductam lucem, cœlo suspensa remoto
Astra gemunt, tactusque prius vix cernitur axis.
Tunc inter curas permixti felle doloris,
Affectus sensere novos, et pectora pulsans
Nondum compertas prorumpit fletus in undas,
Attentisque genis injussus defluit humor.
Haud aliter vivax deceptus mole caduca
Spiritus, impleto venit cum terminus ævo,
Post obitum peccata dolet; tum quidquid iniquum
Gesserit, ad mentem revocat; tum pœnitet omnis
Errorum lapsus, semet quos judice damnat:
Et si præteritæ reddatur copia vitæ,
Sponte ferat quoscunque dabunt mandata labores.
Sanctus namque refert de quodam divite Lucas,
Quem nimio luxu dissolvens vita fovebat.
Ipse cothurnatus gemmis, et fulgidus auro,
Serica bis coctis mutabat tegmina blattis:
Inde ut bacchantem suasissent tempora mensam,
Currebant epulæ, totus quas porrigit orbis.
Cumque peregrinus frugem misisset acervus,
Fervebat priscum crystallo algente falernum.

Uvida quinetiam miscebant cinnama thuri,
Et suffita domus pingui fragrabat amomo.
Quod pelagus, quod terra creat, quod flumina gignunt,
Certatim mensis cedentibus undique lassus
Portabat pallens auri cum fasce minister.
Languidus ante fores pauper tunc forte jacebat
Divitis, obstrictis resoluto corpore membris,
Et supplex poscebat opem, non munera captans,
Relliquias tantum sed si quas copia jecit,
Has tunc opperiens alvus jejuna rogabat.
Sed proclamanti dives non addidit aurem,
Nullaque languentem pietas respexit egenum.
Nec quæ completis cecidere superflua mensis,
Pauperis ad victum quisquam dedit; insuper ægri
Despicitur facies, et putria vulneris horrent.
Cumque canes miti perlambant ulcera lingua,
Blandior et fesso feritas medicabilis adsit,
Sola hominum nescit mens semper dura moveri.
Hæc sed diversa penitus dum sorte geruntur,
Impendens obitus pariter pulsavit utrumque,
Divite prævento, nunquam qui credidit istud.
Pauper ad optatam longo vix tempore mortem
Post venit, et victor morbos artusque relinquit.
Ille quidem, celsa qui dudum floruit arce,
Fletibus ad tumulum stipato funere fertur,
Auratoque datur conditus membra sepulchro,
Et pretiosa tegunt elatum lintea marmor.
Spiritus abstruso sed mox demissus averno,
Incidit æternas per sæva incendia pœnas.

E quarum medio sublimi in sede locatum
Haud procul (hoc certe censetur, nam procul inde,
Ut docet eventus) sinibus conspexit ovantem
Abrahæ justi mutatum in paupere vultum,
Nec ejus similem, quem dudum luce receptum,
Quarto forte die vix quisquam largus humandi,
Ne cito dispersum naturæ lege cadaver
Dira frequentatæ contagia mitteret urbi,
Obtectum laceris tenui velamine pannis,
Naribus astrictis nuda tellure locavit.
Angelicis manibus tunc in sublime levatus,
Jam dives, jam sanus erat: contraque superbi,
Qui congesta tenens opibus diffluxerat amplis,
Arida sic flammis mendicant guttura guttas.
O pater, electas animas qui sede beata
Colligis, et meritis dispensas præmia justis,
Hæc ego non mereor: sed saltem deprecor unum,
Lazarus ut missus veniat, digitoque levatum
Afferat huc labris ardentibus inde liquorem,
Quique refrigerio, si non exstinxerit omnes,
Ad tempus saltem tantos vel mitiget æstus,
Donec fessa brevi respirent membra quiete.
Taliter immixto lacrymis stridore rogantem
Magnanimus tandem compellat sic patriarcha.
Desine jam seras incassum fundere voces,
Et vacuas miscere preces; haud talia dudum
Dicta dabas, foribus cum te prandente jaceret
Ipse ignotus, egens, æger, jejunus, inanis;
Cum tua non caperet congestos mensa paratus,
Pauperis atque tuas non iret clamor ad aures.

Quapropter tandem, librato examine veri,
Præteritæ vitæ sortem dependit uterque,
Permutatque vices; et te jam sufficit amplis
Exundasse bonis : lætetur fine malorum
Qui doluit cœptis. Non est jam terminus ultra.
Insuper horrendo cingit qui tramite limes,
Et chaos objectum lato distinguit hiatu,
Non sinit abjunctas misceri fœdere partes,
Accessumque negat, sic vobis semper, ut istis.
Ille gemens vanum repetita voce precatur,
Si nil post obitum prodest commissa fateri,
Nec tua mutatur fixis sententia verbis,
Hoc concede mihi, nulla quod lege vetatur.
Fratres quinque modo discedens luce reliqui;
His peto mittatur qui vivos corrigat, ante
In tormenta cadant quam talia carne soluti.
Nam quamvis duro persistant corde rebelles,
Si tamen obstructa quisquam de morte rediret,
Credent experto, pœnasque intrare timebunt.
Ille quidem poscens effectum non capit ullum.
Nos autem, dum vita manet, dum luce vigemus,
Olim defuncti perterret nuntius Adam.
Dum locus est flendi, dum non injusta petuntur,
Non obturatis pulsatur janua serris.
Novimus en cuncti, quid primus planxerit ille,
Qui pulsus prisca nescivit sede reverti.
Namque obitum quemdam casu tum pertulit ipso,
Perdita ne precibus lacrymisve reduceret ullis.
Ex tunc paulatim retro sublapsa referri
Vita prior, cœpitque malis laxata potestas.

Tum tristes morbi, et varii subiere dolores,
Et corrupta satis dira pinguedine tellus
Lethali quædam suffudit germina succo.
Inde truces sævire feræ, dudumque timentes
Excitat ad pugnam tum primum conscia virtus,
Reddit et armatas unguis, dens, ungula, cornu.
Ipsa etiam leges ruperunt tunc elementa,
Et violare fidem mortalibus omnia certant.
Inflatur ventis pelagus, volvuntur et undæ,
Excitusque novum turgescit pontus in æstum.
Tunc primum tectis tetra caligine cœlis,
Ingratos hominum castigatura labores,
Grandineos pavidis fuderunt nubila nimbos,
Atque polus discors invidit germina terris.
Quin magis ipsa sibi tellus adversa negavit,
Seminis excepti vertens mentita nitorem.
Hæc gemini primum senserunt tunc protoplasti
Posteritas nam quanta ferat dispendia rerum,
Non cui vel centum linguæ, vel ferrea vox est,
Enumerare queat : nec si quem Mantua misit
Mæoniusve canant diversa voce poetæ.
Quis tales referat motus? quis denique fando
Evolvat totos, qui volvunt secula, fluctus?
Arma fremunt, crebra quatitur formidine mundus,
Funditur irriguus sanguis, majorque sititur.
Quid dicam celsas præclaris cœtibus urbes
In deserta dari? populos populante ruina
Dispergi, et lacerum vacuari partibus orbem?
Servitio subdi dominos, famulosque vicissim
Præferri dominis, et belli sorte perire,

Sors generis claro quondam quos sanguine misit?
At si forte brevi requiescant tempore bella,
Legibus armatas furere in certamina lites,
Jus anceps pugnare foro, quo jurgia fratrum
Non levius votis feriunt, quam prælia telis?
Sed quis vota notet, clament cum facta nocentum?
Quis fraudes et furta gemat gaudente rapina?
Quisve minora fleat? stringi nec maxima possunt.
Inde minora tamen, si summis juncta notentur:
Nam per se nullum facinus sub judice parvum est.
Nec refert cunctas percurri carmine causas:
Hoc parvo sermone loquar; post damna priorum
Nil superesse mali, quod non vel perpetret orbis,
Vel toleret, plenus scelerum, pariterque laborum,
In casu discrimen habens, et crimen in actu.
Sed tu, Christe potens, cui semper parcere promptum est,
Tu figulus marsam potis es separare caducam,
Et confracta diu resolutaque fingere vasa.
Qui dudum multo latitantem pulvere drachmam
Invenis accensis verbi virtute lucernis.
Linquentem caulas, turpique errore vagantem,
Pastor ovem celeri dignatus quærere gressu,
Subvehis, utque suo gaudens reddatur ovili,
Sarcina fit quæ cura fuit. Sic filius ille
Junior, exhaustos postquam dispersit acervos,
Vitaque consumpto mutata est prodiga censu,
Turpia porcorum digne convivia sectans,
Optavit siliquis compleri vilibus alvum,
Donec sæva fames longo discrimine victum

Cogeret offenso tandem se reddere patri,
Confessumque reum laxato crimine solvi.
Denique prostratum mitis pater allevat ultro,
Et trepidum blanda solatur voce pudorem.
Ornatus reduci vestis dat prima secundos,
Lætaque sollemnis celebrat convivia cœtus,
Quod rediviva suis quodam de funere proles
Surgat, et orbato redeant nova lumina patri.
At tu, præpollens hominum rerumque creator,
Quanquam cuncta velis fidæ constare saluti,
Nulla tamen pateris nostræ dispendia mortis,
Nec quoquam pereunte tuis contingere damnum
Divitiis poterit; nescis decrescere, nescis
Augeri, et pleno perstat tibi gloria regno.
Sed famulis tu redde tuis quod perdidit Adam,
Quodque tulit primum vitiatæ stirpis origo,
Ortu restituat melior jam vita secundo.
Sorduerit nimium lacero circumdata peplo
Forma vetus, scissam ponens cum crimine vestem,
Pallia prima pater redeunti porrige proli.
Seminecem quondam miserans qui forte repertum
Projectumque via, quem sævi cæde latrones
Impositis cuncto spoliarant tegmine plagis.
Sed tu, sancte, viam sumpto dum corpore curris,
Invenis allisum, nec præteris: insuper ægrum
Jumento carnis propriæ sub tecta reportas.
Nos fuimus quondam rabido data præda furori.
Sed si nunc medico percurrat vulnera fotu,
Gratia producens oleum, sapientia vinum,
Commendet stabulo Samaritidis extera cura,

Pelletur validus medicato corpore languor.
Suscipe, qui non vis moriendi crescere causas,
Quos confessa tibi gemitus pia pectora fundunt.
Ut quondam tecum, passæ sub tempore carnis,
Proximus immani dependens stipite prædo,
Quem non culpa tibi similem sed pœna tenebat:
Ille tamen nexus membris, nec corde ligato,
Et si confixas clavis extendere palmas
Non potuit, liber mentem cum voce tetendit.
Sicque reus scelerum dum digna piacula pendit,
Martyrium de morte rapit; cui fine sagaci
Maxima cura fuit tales non perdere pœnas,
Præripuit scandens aditum, cœloque levandus
Ardua sublimi tenuit compendia saltu.
Porrige sic nobis celsam, pater inclyte, dextram.
Nos quoque perpetuæ conquirat vita saluti,
Atque profanati deceptis fraude latronis,
Ceu tibi compasso miserans succurre latroni.
Livida quos hostis paradiso depulit ira,
Fortior antiquæ reddat tua gratia sedi.

ALCIMI

ED. AVITI

POEMATUM

LIBER QUARTUS.

DE DILUVIO MUNDI.

INFECTUM quondam vitiis concordibus orbem,
Legitimumque nefas laxata morte piatum
Diluvio repetam : sed non quo fabula mendax
Victuros lapides mundum sparsisse per amplum
Deucaliona refert, durum genus unde resumpti
Descendant homines, cunctisque laboribus apti
Saxea per duram monstrent primordia mentem.
Sed veri compos, fluctus nunc prosequar illos,
Per quos immissus rebus vix pene creatis
Lactentem velox prævenit terminus orbem.
Extulerat mortale genus crudelibus ausis
Ingentes animos : licitum quod cuique liberet
Credidit, et propria valuit pro lege voluntas.
Jus adeo nullum, sic nil distare putatum
Fasque nefasque inter, recti custodia nusquam,
Non judex, non testis erat, non denique rector,
Arbiter aut morum, vel qui suaderet honestum,

Sed princeps sibi quisque fuit virtute nocendi,
Nec meritis sed mole potens, qui fortior esset
Hic melior sibimet, sed se censore, placebat.
Sic hominum vitam brutorum more tenebat
Motibus addicens mens inclinata ferinis.
Sanguine potus erat, cæsorum viscera passim
Indomitis laceras præbebant faucibus escas.
Insuper et quadrupes, propria qui morte necatur,
Sævior aut certe quem vincens bestia cepit,
Pastus erat, quem nulla fides, lex nulla vetabat.
Ut vero pecorum ritu permissa voluptas,
Et diffusa palam ruptis lascivia frenis,
Luxuriæque forum, atque obsceni nundina mundi
Ferveret, casto fas non est dicere cantu.
Talibus ac tantis hominum gens improba gestis
Silvestres animos, naturæ fœdere rupto,
Induerat, pulsaque simul ratione furebat,
Et deserta jacens domini cœlestis imago
Omne decus mentis turpi dejecerat actu.
Haud secus ac pulchri cum fertilis area campi,
Quam succisa dedit purgato robore silva,
Dum colitur, justo paret fecunda labori,
Subjicitur rastris, respondet frugibus, ac se
Servat composito ruralis gratia vultu.
Agricola oblitus si brachia forte remisit,
Laxavitque manus, fessoque quievit aratro,
Pigrescit primum durato cespite tellus,
Mox rudibus ramis atque aspera palmite crebro
Disciplinatos dissuescit promere fructus,
Effundit frutices varios, silvamque minatur :

Quam si nec sera succisor falce repurget,
Non jam virgultis, sed denso stipite lucus
Texitur, et steriles diffundit in aera frondes :
Donec conclusa ramis currentibus umbra,
Mox opportunæ depulso sole tenebræ
Jam secura feras invitent credere lustra.
Taliter humani generis, non ordine recto,
Perdita mandatæ jam post primordia legis,
In pravum labens paulatim vita tetendit.
Proficiens pejore via, constantior ipso
Jam paribus studiis nutriti criminis usu.
Et tamen auctorem vitii, culpæque magistrum,
Doctior errorum, lapsuque peritior omni,
Succiduæ prolis crescens audacia vicit.
Ut fluvius parva primum diffusus ab urna,
Perspicuum leni promit cum gurgite fontem,
Tramite quem summo facili transmittere saltu
Quisque potest, mox irriguo deductus ab ortu
Viribus augetur subitis, ripasque retrorsum
Pellens, crescentes tendit per plana liquores,
Occupat et spatium, pereuntique imminet arvo :
Tum circumfusos vicinis vallibus amnes
Sorbet præteriens, externasque incipit undas
Augmento finire suo, mixtasque sub uno
Nomine, corrasis diffuso gurgite terris,
Cum trabibus, stabulisque boum, lustrisque ferarum,
Sævior accessu, longoque furore potitus,
Tandem desistens pelagi transportat in undas.
Hos inter motus, similisque ad turbinis instar,
Humanum vitiis ibat genus : et tamen ipsa

Longior insanas mentes dissolverat ætas.
Contenos novies crebro cum duceret annos
Vita tenax, tanto suspensi tempore lethi
Nullus terror erat; sors si quem sera tulisset,
Ceu qui nec natus fuerit, nunquamque levandus
Morte putabatur: sic cunctis nulla futuri
Spes inerat, solusque sibi fundaverat omnem
Sensibus in cæcis periturus mundus amorem.
  Tempore quinetiam peccatrix terra sub ipso
Nutribat sævos immania monstra gigantes.
Nec tamen effari licitum quo semine cretos.
Communem cunctis ortum de matre ferebant,
Qui genus, unde patres, prohibent arcana fateri.
Si speciem quæras, humani corporis illis
Plus vultus, quam forma fuit: sic linea membris
Conveniens hominem monstrabat, dissona molem.
Quam propter deinceps commentis Græcia fictis
Dedecus infandum massis informibus auxit,
Et portentosis descripsit corpora membris:
Pube tenus quod forma viris, cum corporis ima
Supplerent vasti mixto pro crure dracones.
Artus semihominum patulis qui faucibus atri
Ferrent, et verso præberent vertice gressus.
Tunc etiam solitos, jusso terrore tonanti,
Blasphemis cœlo convitia mittere plantis,
Mordacesque pedes motu fremuisse veneni.
His similes mendax Phlegræi fabula belli
Excussas finxit jecisse per aera rupes,
Pro telis spatiosa manus quod turbine montes
Sparserit, et missus cœlum quassave it arvis.

Hæc sunt priscorum quæ de terrore gigantum
Carmine mentito Graii cecinere poetæ.
Et tamen audaci voluit contendere pugna
Quisque rebellis erat; qui cum confligere telis
Non potuit, sævis concepit prælia votis.
Montibus impositos fas non est credere montes,
Hoc tamen et deinceps illos tentasse putabo,
Qui coctos lateres, lentoque bitumine junctos,
In sublime rati manibus sic posse superbis
Sustolli, et celsas in sidera surgere moles:
Cum fureret mortale genus, cassoque labore
Irrita transcensis cementa inferret in altum
Nubibus, et refugum sequeretur machina cœlum,
Non prius absistens, subitas discordia linguas
Quam daret, et varius confunderet omnia sermo.
Hinc sparsum fœdus, scissa sic lege loquendi
Consensum scelerum turbata superbia rupit,
Dum se quisque suis, possit quæ noscere, verbis
Aggregat, atque novas sequitur gens quæque loquelas.
Sic interruptæ perierunt culmina massæ,
Effectuque carens cessavit in æthere turris.
Hæc post diluvium. Nam quantas tempore prisco
Pressa giganteas tellus produxerit arces,
Atque lacessitis contemptum immiserit astris,
Abstergente Deo sat nostra silentia damnant.
Cernebat patiens jam dudum insana frementes
Terrarum populos hominum rerumque creator,
Exspectans si quem vani consortia mundi
Linquentem melior moneat resipiscere cura.
Sed conjuratus postquam percurrere cœptum

Perditionis iter statuit, sensumque per omnem
Obtinuit victor peccati insignia mundus,
Nec revocare gradum quisquam, gressumque referre
Præcipiti jam mente potest, exhorruit auctor,
Pœnituitque, videns totum quod fecerit orbem.
Tum tales tonuisse minas commotus ab alto
Fertur, et excitas laxasse his vocibus iras.
O nullis atthracta bonis, nullisque repressa
Legibus, antiquo tantum submissa draconi,
Effera gens hominum, ducto corruptior ævo.
Non Evam cecidisse sat est, transcenditur omni
Inventor lethi lapsu: nec sufficit illud,
Vicit inexpertum quod serpens pristinus Adam.
Non contenta suo fœdari vita parente,
Affectat mortem propria virtute mereri.
Exspectasse diu non profuit; insuper omne
Concessum veniæ rapuerunt crimina tempus.
Jam nimium longas patientia presserit iras,
Vindictæ jam tempus adest. Non fulmina cœlo
Flammeus ardor aget: vasto nec cedet hiatu
Quæ premitur nimio succumbens terra tumultu:
Sed sordens vitiis fluctu delebitur orbis.
Ad chaos antiquum species mundana recurrat,
Inque suas redeant undarum pondera sedes.
Arida decedat lymphis, rursusque sepultas
Terrarum species informis contegat humor.
Hæc clades vivis, carnique hic terminus esto.
Sic pater æternus disponens funera rerum
Diluvium dextra terras vibrabat in omnes.
Interea pleno vivebat justus in orbe

Unus homo, et mentem solus servabat honestam.
Nullus vota Deo donis precibusque ferebat
Hunc præter, dignum quem summus laude creator
Nosset et exceptum vitæ servare pararet.
Stemmatis hic sancti : nam claro nobilis ibat
A proavo, quem prisca fides et conscia virtus
In cœlum sine morte tulit, sic celsa petenti
Successit magno non impar pronepos actu.
Nec plus est illum salvi cum corporis usu
Terrenas liquisse domos, intrasse supernas.
Denique quo priscus quondam conscenderat Enoch,
Elias curru post tempora longa secutus,
Scribitur ignitis scandens penetrasse quadrigis,
Cum suspensa leves transmitteret orbita ventos,
Ungula vel premeret calcatas pondere nubes,
Vallatumque ferens sanctum non ureret ignis,
Et motus servans nesciret flamma calorem.
Hos igitur satis est cœlum potuisse mereri
Membrorum sub lege sitos : sed non tamen illud
Segnius admirer, sancti quod tempore Noe
Unius ob meritum, natis nuribusque tuendis
Orbis in exitio potuerunt ferre salutem,
  Est ille in cœlis, numero præstantior omni,
Angelicus sine fine chorus, qui laude perenni
Conclamat celebratque Deum, famulantia suetus
Ferre ministeria, et jussis parere supernis.
Hi nunc quod rectum mortalia corda precantur,
Concipitur dignis sacro quod pectore votis,
Quidquid larga manus collectis spargit egenis,
Excipiunt, sanctoque ferunt super astra volatu.

Quinetiam justos, fragilis dum vita fatigat.
Tutantur, mundique inter discrimina servant.
Sed tamen in cunctis præcellit clarior ille,
Maxima quæque Dei quo dispensante ministro
Res geritur, summisque parat mysteria causis.
Hic dominum cœli venturum corpore sumpto
Virginis intactam jussus prædixit in alvum,
Sacraque dotali complevit viscera verbo.
Hic et Baptistæ præcurrens nuntius ortum,
Desperata diu dum ferret germina patri,
Inter sacra virum conterruit, et dubitantes
Protinus ingrato restrinxit in ore loquelas,
Donec prædicto fecundam redderet ortu
Prolis anum, multos sterilis quæ tenta per annos,
Fudit diffidens effeta puerpera fetum.
Hic rerum solers summusque Archangelus, alto
Aera per liquidum, levibus circumdatus auris,
Vibratasque movens ignito in corpore pennas,
Nulli conspectis ad terram motibus ibat:
Et tum forte gemens cunctorum crimina Noe
Inflexis stratus genibus, cum supplice planctu
Mundanis veniam mundo nolente petebat:
Cum subito clausis foribus tunc aliger intrat
Conspicuus, claro resplendens nuntius ore.
Horrescit visu tanto perterritus heros,
Mortalisque oculus personam ferre supernam
Vix valet; et pavidi detorquet lumina vultus.
Ille salutiferis primum mulcere timentem
Aggrediens verbis, cœli mandata ferebat:
Pax tibi, juste virum, pacem tibi missus ab alto

Imprecor, ut pulso capias mea dicta pavore.
Hæc mandat summus terræ pelagique creator.
Insperata quidem cunctis sententia lethi
Imminet; hanc solus sed qui transire mereris,
Et præscire potes. Nam te calcata voluptas
Jampridem rectum toto discrevit ab orbe.
Unica sed quoniam sævum depellere lethum
Vita tibi poterit, tantos evadere casus
Qualiter incipias paucis ex ordine fabor.
Finis erit rerum, permissis undique lymphis,
Atque relaxata vastabitur orbis abysso.
Nunc age, congestis crescat fortissima lignis
Machina, quæ surgens fluctus superenatet omnes.
Tercentum cubitos per longum ducta tenebit,
Bis quinis late claudetur, bisque vicenis.
In triginta illi constabit culminis altum.
Per medium per ter longo cœnacula tractu
Edita suspensis domibus tabulata levabunt:
Ut generis proprii servans consortia mansor
Componat parcis dispersa cubilia cellis.
Tum ne rimosi compagum forte meatus
Accipiant inimicum imbrem, linire memento
Juncturas laterum, pigrumque infunde bitumen.
Taliter effectam cum consummaveris ædem,
Protinus ingredere, ac mundum dimitte cadentem:
Exclusit quem culpa frequens, includere vita
Incipiat, circumque fremant te sospite mortes.
Quinetiam lateris sociam succedere tecto,
Et cum conjugibus natos intrare jubeto.
Tuque secundus eris deleti germinis auctor,

Ut te post primum repleatur terra parente.
Sed quia perfecto divinis viribus orbe,
Post operis finem, post leges, postque sacrata
Sabbata, formari quidquam non convenit ultra:
Ne penitus cessans intercidat omne creatum,
Spirantum e cunctis pecorum, celerumque volucrum
Silvarumque feris, et quæ jumenta vocantur,
Vel quæ per tacitos reptant labentia motus,
Bina cape, et tecum claustro victura reconde.
Sic tamen ut proprios teneant sua vincula sexus,
Unde genus rursum tellus implenda resumat.
Ne timeas ne forte feros animantia motus
Servent, aut subitis præsumant rictibus iras.
Fœdus erit totis, quæ discordantia profert
Per varios natura modos, et pace fideli
Parebit jussis quidquid concluseris illic.
Serpentis tantum semper figmenta caveto.
Vertice submisso blandum licet ille trisulcis
Finxerit abscondens per dulcia sibila linguis
Immortale odium, nunquam te credulus illi,
Quem nimis expertus vitandum præmonet Adam.
Hostis namque semel voluit quicunque nocere,
Hic semper suspectus erit, penitusque cavendum est
Ne jam mentito conjungat fœdera prudens.
Tu post exemplum jussis servire memento.
Hæc fatus, vacuum levibus secat aera pennis,
Mortalem fugiens aciem, cœloque relatus
Heroem trepidum mandata lege reliquit.
Ipse tamen tali manibus cum voce levatis,
Quisquis, ait, nobis tantam spondere salutem,

Seu missus, seu sponte tua, super æthere celso
Venisti, et placidum sacrasti fœdere pactum,
Sis fautor, firmentque tuas promissa loquelas,
Auxiliumque tuum conatibus insere nostris,
Ut tenuis tantam valeat manus edere molem.
His breviter dictis, vitæ spem corde reponit,
Aggrediturque celer sacri præcepta laboris.
Quis tantos capiat sensus? quis denique sermo
Explicet, advectis fuerit quæ copia lignis?
Nudati colles, spoliatæ robore silvæ,
Mons ut quisque fuit, famulo placuere paratu.
Pelion immensas cum mittat vertice quercus,
Insuper exponit multa virtute recisum
Ossa nemus, Pindoque abies subducitur alta.
Atlas ipse novas ictu resonante secures
Sensit, et annosas dedit ad navalia pinus.
Invictum tunc surgit opus, contexta levatur
Porrectis trabibus præcelsi culminis ædes.
Hæc inter, discors varii sententia vulgi.
Nam multi lymphis obstacula tanta parantem
Irrisere virum, moles quod clausa moveri
Fluminibusque dari nequeat, quam forte vel ampli
Euphrates Nilusque queant vix claudere ripis.
Humani generis quid mens incredula reris
Mortalem non posse manum conjungere ponto
Ædem longinquam? pontus namque obvius ultro
Curret, et adductum tanget stans fabrica littus.
Ast alios celsam compacto robore massam,
Ignaros quanquam cladis, causæque latentis,
Mirari novitas et formidare coegit.

Haud aliter studium jam tunc diviserat omnes,
Quam nunc mundus agit. Sunt qui compuncta fideli
Corda dicant operi, rebusque instare supremum
Discrimen norunt, corpus quo concidat omne,
Bacchatamque diu consumant secula carnem.
Effugiet tunc ille malum, quicunque paratus
Construat ut validam præduri tegminis arcam,
Per lignum vitale crucis servatus ab undis,
Tunc cernet quanto contempserit otia fructu.
   Haud procul attentum contemplans hunc operantem
Nonne piger quisquam lucri, tædensque laboris,
Insanire putet, cura quod solus inani
Æstuet, et rebus nolit pereuntibus uti?
Sic epulans parcum, sic largum quisquis avarus,
Sic nudum raptor, sic castum ridet adulter,
Sic circumscribens illuso simplice gaudet.
Sic sapuisse dolet dives, cum congregat aurum,
Spargentem nummos, ultroque in paupere censu
Consumptis opibus miserum ratus esse beatum.
   Inde repentinum judex cum cerneret orbi
Adventare diem, finis sic protinus, inquit,
Imminet, ut justi quondam sub tempore Noe,
Diluvium varios mundi cum repperit actus,
Et carnem consumpsit aquis, opifexque salutis
Evasit parto diffusa pericula claustro.
Hæc evangelicis sunt inclamata figuris.
   Providus interea consummat conditor arcam.
Tunc jussæ accurrunt volucres, tunc bestia quæque
Consuetum linquens silvoso tegmine lustrum,
Deposita feritate venit, seseque tenendam

Ingerit occurrens, et libertate relicta
Includi gaudet; tantum decreta futuri
Vis valet; occultus brutis in sensibus ardet
Terror, et exspectans agitat formidine vitam!
Ast homines, quos sors certi discriminis urget,
Vicina nec morte pavent: satis undique constat
Vitali indicio præcedere sæpe timorem.
Securos lætosque reos tellure Gomorræ
Jam prope sub flammis sententia dicta videbat:
Ninivæ contra populis terrore salubri
Prævaluit pro pace metus. Nam venerat illuc
Jussus, multum ille et terris jactatus et alto,
Qui clamaturus tantæ discrimina plebi
Diluvium timuit mundo constante Propheta.
Hauserat hunc valido pervadens bellua rictu,
Immersumque mari ventris concluserat arca.
Deglutire virum, faucesque implere capaces,
Ardenti monstro cum sit permissa potestas,
Non licuit mordere tamen, nil dentibus actum.
Intravit cupidum deludens præda vorantem,
Invasusque cibus jejuna vixit in alvo,
Dum tres luce dies una sub nocte Prophetæ
Sol ageret, litusque novum vacuanda viderent,
Et castigatum vomerent ergastula pastum.
   Ut monstro exutus vates, cœlumque recepit
Contingens terras, magnam tunc percitus urbem
Terribili cum voce potens, quid criminis, inquit,
Ardetis flammis? restringent omnia pœnæ.
Jamque venit finis, lentum est hoc dicere, venit.
Non plus fatus erat, totus conjurat in omne

Lamentum populus: procurrunt undique fletus,
Pectora tunduntur, cœlum suspiria pulsant.
Mollibus abjectis Cilicum dant tegmina setæ,
Inque cibos cinerem, lacrymasque in pocula fundunt.
Ipse etiam, dignus tali qui tempore princeps
Ante aciem flentum portet vexilla salutis,
Atque novum dictu metuens discrimina vincat,
Projicit hinc sceptrum, linquit sublime tribunal,
Pallia blattarum spreto diffibulat auro,
Serica despiciens, atque aspera tegmina sumens.
At pius ex alto contemplans talia rector
Exertas revocat sedatis motibus iras,
Vibratumque tenens restinxit missile fulmen.
Temporibus propriis justus sic conditor arcæ
Securo solus timuisse pericula mundo
Gaudebit, finem cunctis, sibi ferre salutem,
Diversam cernens meriti discrimine sortem.
Ergo ubi silvestres sexu collegit utroque
Inclusitque feras, pecudum tunc eligit illa
Sumere, quæ licitum est mandi, vel munda vocantur.
Hinc tantum septena dedit viventia claustro,
Ut ternis paribus servato semine salvis,
Septima quæ fuerint sacris quandoque litentur.
Et jam vitalis concluserat omnia carcer:
Tunc Justum, cunctosque suos, natosque, nurusque
Accipit exspectans claustrum, vitæque reponit:
Nam servos nondum dederat natura vocari,
Nec dominos famulis discernere noverat ordo.
Primus enim maculam servili nomine sensit
Hujus natorum medius, qui forte cachinno

Distectum petiit misero spectamine patrem,
Materiamque sui risit deformior ortus,
Et plus jam turpis nudato simplice nequam.
Quod postquam sanctus potuit cognoscere Noe,
Natum germanis famulum dedit; inde repertum
Tale jugum: cuncti nam semine nascimur uno.
Servitii certe causam fecisse reatus
Cernitur, et liber peccans fit crimine servus:
Si rursum nexu famulus stringatur honesti,
Natales faciens sibimet, jam nobilis hic est.
Nuntius interea, dudum qui missus ab alto
Detulerat Justo cœlestis munera verbi,
Protinus ut clausum vidit, rebusque paratis
Exspectare diem, rursus descendere cœlo
Festinans, laxos firmavit cardine postes,
Inclusitque viros, atque ostia fortia traxit,
Confestimque levans supero se rettulit axi.
Ævo sexcentos senior transcenderat annos,
Lunaque bis plenos addebat menstrua cursus,
Septimus et decimus qui post illuxerat orbi
Ultimus ille dies jam nunc dabit omnia letho.
Ilicet obtegitur cœlum, nimiisque tenebris
Victa repelluntur fuscati lumina solis.
Insanas hominum mentes vix tangere terror
Cœperat, insuetus mox profluit æthere nimbus,
Et valido primum similis demittitur imbri.
Arida terrarum pariter maduere per orbem,
Una fuit toto facies et nubila cœlo.
Ægyptus tunc ipsa novas expavit ad undas,
Alsit et infusus Garamas, dudumque calentes

Humida Massylas teligerunt frigora Syrtes :
Nec longum pluviæ species, non denique guttæ
Stillant, sed rupto funduntur flumina cœlo.
Non aliter Tanaïs, nivibus cum pascitur albis,
Riphæo de monte ruens illiditur amni,
Præcipitatque simul longo quod tramite ducit.
Undarum tali quatitur certamine tellus,
Fitque lacus instar compressus fluctibus aer.
Nec tamen hic lymphas tantum fudere superna,
Terrestres etiam mundus consurgit in iras :
Rumpitur omne solum, crebros dant arva meatus,
Prosiliunt fontes, ignotaque flumina manant;
Vergitur in sursum mutato pondere nimbus,
Inde cadens cœlis, hinc terris undique surgens,
Occurrit mox unda sibi, junctoque furore
Conjurant elementa neci; transcenditur omnis
Riparum limes fluviis, atque obice rupta
Sævit laxatis discurrens humor habenis.
Sed cum diffusæ spatium concludere terræ
Omnia certarent, mundumque implere capacem,
Suspendi forsan potuit sententia lethi,
Atque mora majore trahi, quo tardius omnem
Concedens spatium rapiat sors ultima carnem :
Oceanus vertex rerum ni fervidus uno
Littore, quo tantum terras atque æquora cingit,
Exiret, rumpensque fidem perfunderet arva.
Dissipat æternas leges, et sede relicta
Regna aliena petens naturæ fœdera turbat.
  Ut diros primum pelagi sensere furores
Illustres fluvii, magnos quos inclyta cursu

Fama refert, motusque novos stupuere parumper,
Ut credas sapuisse fugam, sic versa retrorsum
Per terras spargunt sublata volumina ponto.
Insequitur tamen Oceanus, refugisque fluentis
Imminet, et salsis impellit molibus amnes.
Tunc major strepitu tanto mortalibus ægris
Fit metus, ascendunt turres, et celsa domorum
Culmina, præsentemque juvat vel tempore parvo
Sic differre necem: multos dum scandere tentant
Crescens unda trahit, quosdam montana petentes
Consequitur, lethoque fugam deprendit inanem.
Ast alii longo jactantes membra natatu,
Defessi exspirant animas, aut pondere nimbi
Obruta flumineas commixta per æquora lymphas
In quocunque bibunt morientia corpora monte.
Ædibus impulsis alii periere ruina,
Inque undas venere simul dominique domusque.
It fragor in cœlum sonitu collectus ab omni,
Quadrupedumque greges humana in morte cadentum
Augent confusos permixta vôce tumultus.
Hæc inter miseri ferventia funera mundi,
Prægravis insanis pulsatur motibus arca,
Compagesque tremunt, stridens junctura laborat.
Non tamen obstructam penetrat vis improba, quanquam
Verberet, et solidam fluctu feriente fatiget.
Non aliter crebras Ecclesia vera procellas
Sustinet, et sævis sic nunc vexatur ab undis.
Hinc gentilis agit tumidos sine more furores,
Hinc Judæa fremit, rabidoque illiditur ore,
Provocat inde furens heresum vesana charybdis:

Turgida Graiorum sapientia philosophorum
Inter se tumidos gaudet committere fluctus.
Obloquiis vanos sufflant mendacia ventos,
Sed clausam vacuo pulsant impune latratu.
Jam medium crescens arcæ contexerat unda,
Commovitque cavam suspendens undique molem,
Et melius tutam facili portante natatu,
Quoque vocant undæ, sequitur jam mobile pondus.
Cedamus mundo, dum ducimur: omne resistens,
Si flecti nescit, metuat vel pondere frangi.
Sed sic cedamus, fluxum ne sentiat intus,
Peccatumve trahat mens impenetrabilis ullum.
Navigat interea claustro commissus eunti
Fons vitæ, servatque furens super omnia pontus
Orbis depositum, fido quod tegmine promat,
Cum pax terrarum reddi sibi debita poscet.
Ergo ibant undæ, tellus subducitur omnis,
Collibus impositæ vicerunt edita lymphæ.
Delituit tectus ponto tum pinifer Othris,
Parnassi vertex cautem non protulit altam,
Ipsa cupressiferi latuerunt saxa Lycæi,
Subductæ rupes, æquatæ fluctibus Alpes,
Omnibus exclusis totus jam denique mundus
Axis et unda fuit. Nam cunctis morte subactis
Regnabant pelagi silvoso in gurgite monstra.
Et jam vicinum pulsabant humida cœlum,
Jamque quaterdenis manabat noctibus imber,
Compleratque necem, nec jam quod tolleret ultra
Mors habuit, pressitque natantia funera pontus.
Frænantur tandem pluviæ, resplenduit æther,

Redditur et cœlis vultus. Sol ipse reductus,
Sed non inventis queis reddat lumina terris,
Tantum luxit aquis; tristis videt æquora fulgor,
Quamque breves radios admotas frangit in undas,
Tam consumendis fervens ac proximus instat.
Nec minus et patuli terræ clauduntur hiatus,
Quæque prius vomuit lethali ex ore fluenta,
Obicibus propriis constricta resorbet abyssus.
Nec tamen ut venit, breviter sic unda recedit:
Sicçant non pauci longo sed tempore menses,
Quod pauci fudere dies; jam ducta natatu
Armeniæ celsis instabat montibus arca,
Et nondum nudis fundo consedit in arvis.
Ut stabilem sensit senior, motuque carentem,
Nec fluitare natans ventosa per æquora lignum,
Credidit abductis nituisse liquoribus orbem.
Tunc reserat summam sublimi a fronte fenestram,
Emissa refluos exploret ut alite fluctus.
Illa volans longo diverberat aera plausu,
Atque quatit vacuas pennarum motibus auras.
Cumque diu fessis undas perstringeret alis,
Nec locus optatam requiem concederet ullus,
Consuetum repetit prospecto ex æquore claustrum.
Exceptam senior manibus tunc colligit intus,
Advertens nullas patuisse per humida terras.
Interea magna pontus se mole movendo
In chaos antiquum linquens mundana redibat.
Excelsi tandem proferre cacumina primum
Incipiunt, post quos tenues crebrescere montes.
At vero ut pelagus cinxerunt littora priscum,

Oceanusque sacer notas collectus in oras,
Contentus solito labentia flumina tractu
Sorbuit, et cunctis distinxit fræna fluentis,
Torrentesque suæ clauserunt undique fossæ,
Libera subductis nituerunt arida lymphis.
Tunc interposito producens tempore corvum,
Scire cupit senior, vacuumque interrogat orbem.
Ales ut extensis nitidum petit aera pennis,
Aspiciens plenis stipata cadavera terris,
Carnibus incumbens, et mox oblita reverti,
Rectorem placidum communi in sede reliquit.
Sic nescis, Judæe, fidem servare magistro,
Sic carnem dimissus amas, sic gratia nunquam
Custodi vitæ dominoque rependitur ulla.
Mente vaga sic laxus abis, sic fœdera legis
Rupisti, et primum violasti perfide pactum.
Temporis ut spatio senior collegit inertem
Jam potuisse satis corvum se reddere claustris:
Ignarus tardi reditus, causæque morandi,
Ne fors innexis fessum consumpserit alis,
Junxerit et cunctis pereuntibus unda recurrens;
Protinus albentem mittit de sede columbam:
Illa memor jussi rapido petit arva volatu,
Paciferæque videns ramum viridantis olivæ,
Decerpit, mitique refert ad condita rostro.
Tali legatus firmavit fœdera simplex
Indicio, parumque pius sic comperit orbem.
Integer emensum vertebat circinus annum,
Quo felix claustrum spirantia cuncta tenebat:
Tum pater ablatis obducta repagula serris

Pandit, et inclusis desuetum reddere solem
Incipit, effeto redeant ut semina mundo.
Ante tamen Justus jubeat quam sparsa vagari,
Singula de septem, quæ dudum claudere munda
Curavit, natis pariter, nuribusque vocatis,
Cespite constructa disponens immolat ara,
Accendens sanctos his primum altaribus ignes.
Plurima dum magnis adolentur corpora flammis,
Et numerosa levat præpinguem victima fumum:
Suavis odor lætum tetigit trans æthera cœlum,
Primaque purgati suscepta est hostia mundi.
Tunc igni permixta sacro vox intonat ista:
Hactenus infectus contagia traxerit orbis,
Sufficiat regnasse nefas: mundata lavando
Perpetuo niteat tellus, vultusque reductos
Contineant elementa suos: haud amplius ullis
Perturbata malis moles mundana fatiscat.
Vos quoque, quos lethi salvavit tempore vita,
Intactosque tenens casu defendit ab omni,
Ducite securum servatis legibus ævum,
Vosque caput generis fecundo semine prolem
Spargite, diffusum late quæ compleat orbem,
Deletum instauret numerum, dominetur et orbi.
Fertile quinetiam reddent animantia germen,
Quod tamen inflexum famulabitur ordine prisco.
Insuper et terris ex hoc jam non erit ultra
Diluvium regnans, carnem quod conterat omnem.
Unum quod fuerit, signo monstrabitur uno:
Nec similem repetita necem peccata videbunt;
Et si crimen erit, terror non deforet alter.

Sic unum genitor jurans baptisma sacrabat,
Ut semel ablutum lymphis purgantibus orbem,
Sic sperare reos lavacrum non posse secundum.
Vix tribus exactis cœli jam partibus ibat
Pronus in occasum radius, cum forte remotam
Axe sub Eoo jussus contingere nubem,
Protulit excussum madefacto ex aere signum,
Arcus et emicuit, quem nunc Thaumantida Graio,
Irim Romuleo vocitant sermone poetæ.
Pendulus obliquum solem cum senserit humor,
Ancipites vario mittit splendore colores:
Nec numerare queas, sic mixtos lumine visus
Illudunt dubii diversis vultibus orbes,
Sapphirusque virens, maculosus, cærulus, albus.
Purpureum de nube trahit, de sole coruscum,
De cœlo nitidum, de terra sumit et atrum:
Et tamen abjunctis quæ constant hæc elementis,
Sic diversa putes, ut concordantia cernas.
Hanc formam signo trepidis mortalibus arcus
Præstitit esse Deus, promittens nube serenum,
Nullaque jam terris debere pericula cœlum.
Nunc quicunque cupis veram servare salutem,
Illud suspicies signum, quod signa figurant.
Namque dator vitæ præmisit talia Christus,
Et geminata dedit substantia salvatorem.
In terris sumptæ nitida de virgine carni
Naturalis inest patrio de germine fulgor:
Et medius quidam mediator in æthere celso
Munere multimodo varius, sed fulgidus omni,
Vitalem monstrat sacrati pignoris arcum.

Istum corde vide, quisquis baptismate lotus
Ad cœlum liber culpis pereuntibus exis.
Nam legis forma vos, inquit Apostolus, ista
Salvabit lavacrum, prisci cum tempore Noe
Conclusas lignis animas describeret octo.
Comparat ille datum, tu servans dilige donum,
Hoc votis precibusque gerens, hoc fletibus optans,
Ne redeant peccata tibi, ne mersa leventur,
Mortua ne surgant, ne debellata rebellent,
Ne post ablutum valeant discrimina crimen,
Et flammam timeas, quia jam non suppetit unda.

ALCIMI

ED. AVITI

POEMATUM

LIBER QUINTUS.

DE TRANSITU MARIS RUBRI.

Hactenus in terris undas patuisse canenti,
Terram inter fluctus aperit nunc carminis ordo.
Illic diluvium quos perderet ante petivit,
Nunc ad diluvium pleno succensa furore
Sponte sua current perituræ millia gentis.
Si non ut dignum tanti præconia facti
Eloquium captent, divina in laude voluntas
Sufficit, et famulo monstrari munere votum.
Quod si quis nequeat verbis persolvere grates,
Non minimum virtutis habet vel credere gestis,
Signa per electos quæ perrexere priores.
In quibus excellit longe præstantius illud,
Quod pelago gestum rubro celeberrima perfert
Scriptorum series, in cujus pondere sacro
Causarum mage pignus erat, pulchramque relatu
Pulchrior exsuperat præmissæ forma salutis,
Historiis quæ magna satis, majorque figuris,

Conceptam gravido peperit de tegmine vitam.
  Sustinuit duros externa in sede labores,
Dum Pelusiacæ serviret subdita genti,
Plebs oppressa diu : densi quam pondere cæni,
Et laterum numeris, operis mensura diurni
Afflictam sævi vexabat fraude tyranni.
Invisam sibimet frendens qui crescere turbam,
Augeri doluit famulos. Nam jusserat ut lux
Vidisset quoscunque mares, mox docta necaret
Omnis anus, natumque premat solertia sexum.
Sed tamen aversæ fugerunt talia matres,
Atque interdictos detrectant perdere fetus,
Persistente Deo plebem diffundere sanctam :
Quoque magis mens cæca trahit crudelia vota,
Hoc plus accrescunt teneræ primordia gentis.
  Viderat interea genitor de sede superna,
Afflictamque manum placido prospexerat ore :
Jam sacer innocuas dederat de fomite flammas,
Et rubus in rubeo viridis permanserat æstu :
Quo signo spinas nostræ fervescere mentis,
Et lucere pio qui non consumeret igne,
Devotus nosset sanctis in cordibus ardor.
Ilicet electi vates mandata ferebant,
Depromit regi cum primus talia Moses :
Servitii longo lassatam pondere plebem,
Oppressos cophinis humeros, attritaque colla,
Quasque opus assiduum fecit durescere palmas,
Laxandi jam tempus adest : dimitte precantes
Tandem cœlesti domino persolvere vota,
Et complere datos patrio moderamine ritus.

Ille fremens inquit, quæ tanti causa tumultus,
Quisve novus populum Deus exigit omine misso?
Scilicet hæ vacuæ tangunt cœlestia curæ,
Ut dominus dominis famulos nunc tollere priscos
Vellet, et ad tumidos mittat mandata rebelles.
Quis Deus iste foret, cui me parere necesse est?
Aut sceptris celso quid formidabile regi?
Sed vestras nimium seducunt otia mentes:
Et nisi laxatos requies concessa foveret,
Nulla supervacuis tererentur tempora verbis.
Quæ si castigans restringet sarcina major,
Illicitus vetitum conari desinet ausus.
At vos, signifero qui talia vota ducatu
Instruitis, vano et plebem subvertitis ore,
Conspectus vitate meos, vultumque cavete.
Ditem namque Pharon, vel pollentissime cursus
Testor Nile tuos, et divæ vocis Anubem
Cum rabidus latrat, jam non impune futurum,
Si nostrum rursus repetant hæc dicta tribunal.
Virgam forte manu gestabat legifer heros,
Quo baculo nitens gressum dum dextra regebat,
Excutit hanc valido projectam cominus ictu.
Tum mirum dictu, commotum serpere lignum,
Non insensibiles ceu promit palmite ramos
Vita movens tantum quos præstat crescere fructus:
Sed flexu reptans, mutati et corporis usu
Sensum animamque gerens, cœpit decurrere virga,
Mox anguem formata refert: conterritus hæsit,
Æternumque niger tum palluit ore tyrannus.
Sed ne confusum tali succumbere signo

Cerneret assistens vultu nutante satelles,
Dissimulat summo rem gestam credere jussu,
Nec divina volens, hominum sed facta putari,
Tum mandat quoscunque magos, vel carmina doctos,
Illicitam diris tentantes fraudibus artem
Ægypti, longinqua darent hastilia, cogens
Murmure funereo faciat monstrata minister.
Undique tunc jussi concurrunt, et medicatas
Armant quique suas noto medicamine virgas.
Dant jactæ vanas species, anguesque putati
Illusos terrent oculos fallente figura.
Nec longum tumuere magi: consumitur omne
Quod fecisse rati; fictos namque arte dracones
Primus adhuc mordax absorbuit ore cerasta.
Postquam virtutis clausit spectacula Moses,
Victorisque tenens caudam tellure levavit,
Decedit serpens ligno, vultusque recedit,
Diriguere vagi durato corpore flexus.
Quid multis? fit virga prior, qua deinde sacerdos
Plurima succiduo monstravit tempore signa.
  Hinc dirum frendens Pharaonis conscius ardor,
Divinæ incipiens per cuncta resistere dextræ,
Et quæ cognoscens, nolens tamen ipse fateri,
Protinus expulsos jussit discedere vates.
Illi divinas pulsant cum fletibus aures,
Ut fremitus gentis tandem frænetur iniquæ,
Quam gravius sævam monitus fecere superni,
Ipsis quinetiam cœlestibus arma minantem.
Tum pater, accipiens gemitus lacrymasque precantum,
Taliter hortatu blando solatur amaros.

Ne tantum vacuo submittite corda timori
Plebs mea, quam toto mundi de corpore sumptam
Elegi, et propria solam mihi sorte dicavi.
Jam nunc cernetis quanto primordia vestra
Prosequar auxilio, sævos ac persequar hostes.
Ducam sublimem portenta per omnia dextram,
Nec volet in paucis Pharius rex cedere signis,
Longius ut duram vincant miracula mentem.
Post hæc laxatos quin et discedere coget,
Expelletque solo : quod nunc negat, ingeret ultro.
Ibitis ad magnas post fortia prælia sedes,
Quo vocat exspectans præfertilis ubere terra,
Et claras victis condetis gentibus urbes.
Vos modo promissis tantum confidite donis,
Et quos deposcent ingentia facta labores,
Læta ferat virtus, seseque ad prospera servet.
Talibus auditis melior spes accipit illos.
Attollunt animos, palmasque ad sidera tendunt,
Concipiuntque fidem votis, gratesque rependunt.
Postera lux dubios primum præmiserat ortus,
Et successorem depulsa nocte ferebat
Insistens aurora diem : tum flumina sanguis
Imbuit, et subito maduerunt arva cruore.
Sed non hoc minimis portentum contigit undis,
Fluviorum rex ipse rubet, nec lumine prisco
Nilus agit proprium quem sumpsit fonte nitorem.
Quin magis, averso ne tangat pristina limo,
Sanguis in externum certans manare canalem,
Carnosus non carnis erat, nec corpore fusus,
Aut strages quæ multa simul, quo vulnere possit

Lympharum damnum proprio supplere cruore.
Naribus obstructis pressi, victoque natatu,
Interiere simul peregrini in gurgite crasso
Auxeruntque suo saniem de funere pisces.
Et fortasse rear cladis mortisque futuræ
Sanguinis indicio jam præcessisse ruinam,
Hoc ipsum ni pœna foret. Nam scilicet omne
Ægypti spatium, vel quo patet ampla Canopus,
Mox inter pingues sitiens defecerat undas,
Si non omnipotens celerem super arva medelam
Spargeret, et nitidos revocaret vallibus amnes.
Tum vero ut requiem pestis subducta reduxit,
Effertur rursus dilata morte tyrannus,
Et vix evasum contemnens mente flagellum,
Innocuam flagris persistit subdere gentem.
At quid per cunctam stylus æstuet ire superbi
Perfidiam, cæsi numerans perjuria regni?
Sed tamen extorquent varium mendacia monstrum,
Undaque vicino vixdum purgata cruore,
Ranarum fœdis texit cantatibus urbes.
Complentur cellæ, strati, penetralia, mensæ,
Sustinet innumeros regalis purpura saltus,
Atque premens homines frendet succumbere ranis,
Quarum mox cumulis flamma tonitruque subactis,
Congestisque, sonans muscarum nubis ad auras
Exiit, infectum corrumpens aera flatu.
Illic quas scinifes vocitant, quaniosque volatus
Pendula committunt levibus corpuscula ventis,
Pennarumque vices peragunt stridentibus alis?
Fundunt se pariter, turbataque mœnia complent.

Et licet immersis defigant vulnera rostris,
Plus horror quam pœna movet, sed tollit et istam
Ventus agens, cessat laxata molestia paulum.
Confestim cessante metu, nec longius ira
Sentitur quam plaga calet. Sed peste remota
Succedunt aliæ gravius: consumitur omne
Jumentum, cunctosque greges nox abstulit una.
Nec tantum damnosa reos portenta fatigant:
Vertitur ad carnem quæ suscitat ira dolores.
Insidunt penitus turgentia vulnera membris,
Et sacer incubuit percussis artubus ignis.
Creditur hic etiam casu contingere languor:
Sed morbus mentis discrimina corporis urget.
Præterit ille dies: tum demum luce secuta
Concutitur cœlum tonitru, nubesque coactæ
Terribili splendore micant: ferit omnia fulgur,
Fulmina agens, totas uno sub tempore mortes
Æthere turbato terris elementa minantur.
Ignibus inseritur prægrandis corpore grando,
Non ut nube solet terris nimbosa venire:
Sed quocunque cadens ut deprimat, atque ruinam
Pondere vel solo faciat; conjungitur ergo
Grandineum flammis ferventibus aere frigus,
Et natura neci servans assignat utrumque.
Hic primus stragem sparsis dat mortibus imber:
Exin restantem surgit consumere fructum
Bruchus, et excusso confidens crure locusta.
Hoc sed docta malis, et jam discrimine crebro
Tanquam lene satis callosa superbia duxit.
Insequitur velox gravius quæ vindicet ira.

Cæcas mane novo surgens sol sparserat umbras,
Et lætus jubaris splendebat fronte sereni,
Cum surgens mediam nubes se porrigit atra,
Nascentemque diem depulso lumine claudit.
In molem nox densa coit, perit obrutus aer,
Palpantesque manus densas sensere tenebras,
Atque repercussus vexatur anhelitus ager :
Et si sopitos flando quis suscitet ignes,
Aut flammas excire velit, compressa necantur
Lumina, nec vibrant restricti pondere motus.
Quo quemcunque loco tenebrosus repperit horror,
Continuit, vidit nullum, nec visus ab ullo est.
Squalentes pariter viventia millia credas
Infernas intrasse domos, aut forte revulsa
Obice terrarum patriam sordentis abyssi
Migrasse in superos, ac mundum luce fugata
Sub leges misisse suas : tres perdidit ista
Nocte dies, digne pendens perjuria tellus
Isthæc damna tulit; nam cætera fulgidus orbis
Continet, et solitos distinguunt tempora cursus.
  Moses interea lacrymas, jejunia, vota
Continuat, precibusque frequens ac pervigil instat,
Majoris natu fultus solamine fratris.
Instruit hos sacris simul, informatque creator
Mystica solemnem quæ pandat victima ritum.
Cernitis ut multa desudans clade reatum
Ægyptus contrita gemat satis undique tacta,
Sed tamen immota perstans cervice rebellis?
Nec portanda diu præcedunt ista ruinam.
Ægrotat quodcunque tumet, nec sana superbo

Causa subest, junctum monstrat mens turgida lethum.
Unus adhuc restat qui vindicet omnia luctus,
Postque novem decima percellat cæde merentes.
Vos modo perpetuos sacrorum discite mores,
Cultibus et propriis mansura lege tenete.
Mensibus in cunctis, orbis quos circinat anni,
Iste caput princepsque foret, quem nomine belli
Gentiles vocitant, vos tantum dicite primum:
Lunaque bis septem cum fecerit addita noctes,
Vespere tum sero dabitis primordia sacris.
Sumite mansuetum perfecti temporis agnum,
Qui careat macula, et purum det corpore vellus.
Hoc animal festis mactabitis; hujus utrumque
Signabit sanguis nitido de corpore postem:
Hoc dabit indicium servandæ cura salutis,
Cum percussor aget tacitam sine vulnere cædem,
Perspiciet sacro limen maduisse cruore,
Hoc tantum transire volens: distantia talis
Custodit vestras sparsis a mortibus ædes.
Sic nos, Christe, tuum salvet super omnia signum
Frontibus impositum: sic sanguis denique sanctus,
Tunc præmonstrati dudum qui funditur agni,
Oribus infusus postes lustrasse tuorum
Inter labentis ferventia funera mundi
Credatur, casuque tuos discernat ab omni.
Dum non signatos percurrit funere mucro,
Tu cognosce tuam salvanda in plebe figuram.
Ut quocunque loco sanctus mactabitur agnus,
Atque cibo sanctum porrexerit hostia corpus
Rite sacrum, celebret vitæ promissa sequentis.

Fermento nequam duplici de corde revulso,
Sincerum nitidæ conspergant azyma mentes.
  Finierat rectór leges et fœdera festi
Paschalis mandare viris, quod protinus omnes
Arripuere simul; peragunt convivia læti,
Sollemnisque novo cultu disponitur esus,
Transeat ad seros quæ condita forma nepotes.
Nox erat, et mediam carpebant cuncta quietem,
Umbraque libratas jamjam diviserat horas:
Ecce venit tacito per dira silentia motu
Angelus, exerto missus qui sæviat ense:
Nec confusa datur subiti sententia lethi,
Omne malum sed forte cadit, longeque videtur,
Quem petat in tenebris præfixi funeris ordo:
Majores natu pereunt, soliquc leguntur
Ad mortem primos luci quos edidit ortus.
Cum dominis famuli pereunt, natique potentum
Permixta cum plebe cadunt: sic vilis, ut ille
Quem celsi tenuit morientem purpura fulcri.
Hæc nuda tellure jacent, hæc serica velant,
Disparibus stratis sternuntur corpora letho.
Non quemquam mors æqua timet, non excipit ullos
In vivis tantum qui discernuntur honores.
Pauperis ad fletum nulla pietate movetur,
Ditibus ut parcat nullo corrumpitur auro.
Ægrotum sanus, longævum junior ante
Migrat: huic soli debet confidere nemo.
Hoc tantum tamen est sibimet quo mortua distent,
Vivant ut meritis qui complent tempora sorte.
Hæc nunquam penitus morti licet auferat, et si

Jure potestatis lutea compage creatum,
Semine mortali genitum, terræque reductum,
Justorum in factis letho nil creditur ulli.
Ergo ut percussas soboles confusa repente
Aula videt, currunt flentes ad funera matres,
Pectora contundunt pugnis, crinesque revellunt
Unguibus, et nigras festinant scindere malas.
Nec dominos planxere diu, mox occupat omnes
Luctus quemque suus, sonat unus in æthere clamor
Non uno ex fletu; confundit voce tumultum
Nulla vacans a morte domus: tum lumine multo
Omni curatur populorum funus in urbe.
Judicium justum cogit mœrere merentes.
Et dum quis proprio fervat lamenta dolori,
Exequias tardant luctus, inhumataque turba
Dilata jacuit tantisper sorte sepulcri:
Et nisi jam tandem vacuos et honore carentes
Vel nuda tellure locet, vel concremet igni,
Vix collecta manus quæ tantos clauderet urna.
Tum regem circum commoto murmure sistit
Mœsta cohors, humiles depromens voce querelas.
Heu nimium nostris adversa potentia rebus
Hebræi populi, toties cui vindice dextra
Militat omne malum, totus cui denique mundus
Pugnat, et irato succedunt prospera cœlo!
Vis quædam secreta Dei, majorque potestas
Hæc in sceptra furit, gentemque ulciscitur ipsam
Urbis jactura: solos pereuntia salvant
Victores elementa suos, redimuntque cadendo.
En jacet Ægyptus, nec jam reparabilis ultra.

Atque utinam pœnas vivis, damnumque per arva
Ferret adhuc divina manus, nec funere tanto
Deceptam subita vacuasset cæde Canopum:
Tandem parce solo, causasque expelle ruinæ,
Dum levior strages, dum quisquam luce tenetur,
Dum superest qui terga premat, qui limite trudat,
Et ne quem, si forte velint ex corde morari,
Non sinat ejecto depellens hospite cladem,
Permoveat noster natorum funere luctus,
Permoveat te forte tuus: vel pauca superstent
Pignora, quæ tantos tergant servata dolores,
Et detruncatæ reparent dispendia gentis.
His dictis lacrymas populus dedit; ipse superbus
Frangitur ad fletum princeps, victumque fatetur.
Hæc perturbata sed dum tractantur in aula,
Hebræi vatum studio, monitisque supernis,
Optima quæque sacris fingunt, epulisque requirunt,
Vasaque solemnes quæ poscunt plurima cultus.
Ornamenta etiam, vestesque, monilia, gemmas,
Ut reddenda petunt, nec tardus commodat hospes,
Ditat et ignorans trepidam manus æmula plebem.
Quæ jam digna tuis pandantur laudibus ora,
Summe pater, qui tam sævo sic uteris hoste?
Annuit adversus, largitur munera nolens,
Quæ secum dimissa ferant: nec solvere tantum
Sufficit oppressos, opibus ditantur euntes,
Thesaurosque novos libertas reddita sumit.
Inter ferventes inimica in sede furores
Prædatur dominum fugiens, fallitque videntem,
Præsentem vacuat, ne tam discedere pulsos

Quam lætos migrasse putes; portantur avari
Sic Pharaonis opes: quem tunc mercede soluta
Servitii longum credas taxasse laborem.
Nonnunquam rectis et quæ contraria prosunt,
Et quæ læva malus volvit, mutata recurrunt,
In dextram vertente Deo, solosque nocentes
Vis odii perimens meditata in vulnera ducit,
Et partos fratri laqueos incurrere cogit.
　Egressi interea trepido de rege ministri
Compellunt celerare fugam, coguntque volentes,
Præcipitant alacres, et festinantibus instant,
Pellendasque putant pulsa cum gente ruinas.
Jam prope centenum compleverat advena lustrum
In regnis Ægypte tuis, ex tempore quondam
Quo priscus Patriarcha Jacob perduxerat illuc
Bissena cum prole domum, carosque nepotes,
Quo per fecundum creverunt millia patrem.
Procedit tandem populus, moxque agmine juncto
Diram linquit humum tenebris ac luctibus orbam.
Nam vicina dies nondum produxerat ortus,
Hæc nox festa Deo redeuntibus annua sacris,
Hæc gentis solemnis erit, quæ solvitur hoste.
　Primo conspicuus fulgebat in ordine ductor
Legifer, adjuncto præcedens agmina fratre.
Post quos belligeræ disponunt arma cohortes,
Ducunt et validas instructo robore turmas.
Arma ferunt humeris, enses per singula lævo
Dependent lateri, presso tum vertice cassis
Fulget, et albenti certat lux ferrea lunæ.
Nituntur jaculis alii, clypeosque sinistris

Volvunt, et rapido meditantur bella rotatu.
Gaudet pars etiam pharetris, volucresque sagittas
Hostis in occursum mittendis mortibus aptat.
Aut si forte virum fugientia terga sequatur,
Ut pennata leves transmittant spicula ventos.
  Incedit pavidum postrema per agmina vulgus,
Non impar numero, cœlum cum pingitur astris,
Æstuat aut motus pelagi crispantibus undis,
Littore vel quantas converrit fluctus arenas,
Vel quantis stillant humentia nubila guttis.
Mirantur Pharii satrapæ, nec credere tantum
Se potuisse vident: placet ejecisse tot hostes.
Sed non hac acie duri salvabere ferri.
Quamlibet innumeris peditum stipere catervis,
Unus pugnabit cunctis pro millibus auctor.
At populus lento moderatus tramite gressum
Arreptum carpebat iter, præcedere tantum
Aggressis ducibus, quantum vel tarda senectus
Vel rudibus reptans infantia sustinet annis,
Ne præmaturis fragilem contristet eundo
Ætatem sexumque labor. Sic cuncta supernus
Dispensat nutus, plebique assistit ovanti.
  Ergo ubi signatis sederunt millia castris,
Armatusque pedes vulgus vallavit inerme,
Vespere tum primo stanti assimulata columnæ
Insistens puro resplenduit æthere flamma:
Non tamen ut noto dirum micat ignis in axe,
Prodita cum terris cœli portenta minantur,
Seu morbis tristem, bellisque aut cladibus annum:
Sed radiis fulgens, et lumine candida læto,

Ostendit nitidum castris mirantibus ignem.
Diffugiunt tenebræ, vicinaque sidera cedunt.
Obstupuere viri primum, perterruit omnes,
Incussitque metum novitas, tum luminis usus
Paulatim cœleste jubar commendat amori.
Maxima nocturnas jam pars exegerat horas,
Et volvenda dies instabat sorte propinqua:
Cunctorum ante oculos per cœlum visa moveri,
Arripuitque viam populo spectante columna.
Protinus hanc patres sancti sensere sequendam,
Esse ducemque ducum: læti mox præsule tanta
Abrupere moras, castris excedere certant.
Tunc ut quæque tribus primum sortita laborem
Ordine carpit iter, sequitur tum cætera pubes.
Hæc inter clarum rediens lux pandit olympum,
Flammea pallescit conspecto sole columna.
Vertitur in nubem totus qui fulserat ignis,
Sed species perstat tensæ super æthera formæ.
Tertia nocturnos deterserat hora liquores,
Et matutinas scandens sol vicerat umbras:
Ecce novum dictu, cœlo servata sereno
Frigida ferventi jussa est opponere nubes
Se radio, densumque parat tenuissima tegmen.
Sic circumjectis, tellus queis ardet Eoa,
Æstibus ignorat genuinum turba calorem,
Vesperis ut credas leni respergere flatu,
Blanda vel humentes diffundere frigora ventos.
Nec tamen hanc nubem tetro suffusa colore
Forma dabat, nec concreto sic horrida vultu,
Ut terrent validos cum promunt nubila nimbos:

Sed qualis madidus solem cum viderit arcus,
Tanta fuit pulchræ species extenta columnæ.
Noctibus ignis erat, lumenque accensa ferebat,
Cum sol torreret, gelidi dabat humida roris.
Has alternantem ducens cum tempore sortem
Mutavit natura vices, substantia discors
Muneribus propriis concordem reddidit usum.
Si mansit, mansere viri : si mota, secuti.
Si multis etiam visa est pendere diebus,
Subdita defixo tardabant agmina vallo.
  Ista quaterdenis pietas percrebuit annis,
Dum vastos eremi curris, Judæa, recessus,
Vincla pedum firmante via, dum tempore tanto
Non attrita suum servarent tegmina pondus,
Mollitieque nova prisci durantur amictus.
Sic longæva foret, quod non damnosa vetustas;
Dum sacrum populo victum caudentia manna
Ferrent, et cœli frugem terrena viderent.
Per quam sublimis prædiceret ante figura
Edendum ex utero purum sine semine corpus,
Quo caperet pascenda salus de sede superna
Illabente Deo sanctis altaribus escas.
Hoc signo summus percussa rupe sacerdos
Protulit irriguos populis sitientibus haustus.
Christum namque vides stabilem consistere petram,
Percussus jaculo largas qui præbuit undas,
Porrexitque suis sacro de vulnere potum.
  Hebræi interea læti ducente columna
Per terras gressu, per cœlum visibus ibant.
Ecce iterum Phariis insedit mentibus ira,

Et populus sine more ferox his vocibus armat
Tandem postremos vicina morte furores.
O nimium stultis illudens mentibus error,
Præstigiæque satis nebulosa in fraude peractæ!
Nonne pudet famulam nullo certamine gentem
Sic impune rapi, quod nemine præsule tantus
Deseruit vacuas discedens accola terras?
Rura vacant, cœptis desistunt oppida muris.
Non solitum consurgit opus, non cultor in agris
Exercet validos attrito dente ligones.
Turbidus exactor siluit, nulloque tumultu
Fervida consuetos repetunt suspendia census.
Quin potius sumptis exercitus irruat armis,
Imbellemque manum, profugosque reducat alumnos.
Quos si servilis tantum succenderit ausus,
Ut telis certare velint, mox occidat omnis
Confusa cum plebe manus: ferventibus armis
Permixtæ pereant confosso pectore matres,
Uberibus junctos configant spicula natos.
Prolem quisque suam cernens ante ora cadentem,
Oblatis optet jugulis succurrere mortem.
Orbatum nostros faciat libare dolores
Ultima sors populum: sic vivens omnia perdat,
Tum pereat; densa campi sub strage jacentes
Tristi committant inhumata cadavera cœlo.
Inde ubi jam totos satiaverit ense furores,
Thesauros revocet fugientes dextera victrix.
Talibus excitas acuebant flatibus iras,
Irridente Deo, solus qui despicit omnem
Conatum rigido meditantem vana timore,

Consiliumque ducum cassato dissipat actu.
Ergo bella rogant, fervens rapit arma juventus,
Spumantes ducuntur equi, phalerisque potentes
Suspendunt alacres splendentia frena jugales.
Pugnax pompa nitet, subjectos curribus axes
Aurato temone trahunt : tum cætera pubes
Induitur chalybe, aut fulvo circumdatur ære.
Hi loricarum vasto sub tegmine gaudent,
Intexit creber sibimet quas circulus hærens,
Atque catenosi crepitant per corpora panni.
Ast aliis tenui concurrens lamina ferro,
Qua se succiduas junctim scandente per oras
Flectitur, adsuti crates compacta metalli
Horrentes habitus diversa fecerat arte.
Et tamen ardentum cuncta inter tela virorum
Terribilis plus forma fuit, quis namque furentes
Spectet, quos lætos vix possit cernere vultus ?
nclusæ galeis facies, et ferrea vestis
inxerat iratas armorum luce tenebras.
rogreditur collecta manus : rex ipse frementes
urru cogit equos, telis tamen undique septus
elituit, densam reddunt hastilia silvam.
oncutitur pulsata rotis et pondere tellus,
ngustavit humum latam stipata juventus.
onclusitque vias quidquid virtutis habere
Egyptus potuit, totum mors proxima ducit.
Junxerat interea, ponto qua Magdalus instat,
ebræus populus rubranti castra profundo,
vasos credens securis mentibus hostes.
um resident, fixoque parant requiescere vallo :

Cernunt pulvereas in cœlum surgere nubes.
Cunctatis primum mox agmina sæva patescunt,
Non tamen infensas patitur committere partes
Sole sub occiduo vicinus prælia vesper.
Distulit in lucem vallatus bella tyrannus,
Et fors ardentes nondum compesceret iras,
Nec servare furor potuisset fœdera nocti,
Auroramque velit motis præcedere signis,
Flammea ni retro subsistens forte columna
Objectu medio gentes discerneret ambas.
Contemplans rex ipse tamen mirabile lumen,
Sic ignem metuit, quod sensu fervidus ardet.
Paulatimque mori non profuit : itur ad unam
Quæ claudat cunctos pelago pandente ruinam.
  Plebs trepidat conclusa loco, finemque sequenti
Exspectat pavefacta die, non tela, nec ullas
Bellorum molita vices, sed voce levata
Vatibus insistens : o terque quaterque beati,
Ægyptus quos morte tulit, tellure vel ampla
Urnam defunctis suprema sorte paravit!
Digni qui tantos nequeant sentire dolores,
Nec stragem prolis, vel pignora capta videre.
Alitibus nos esca dati, nec sede sepulcri
Condita deserto solventur corpora vasto.
Talia voce viri : respondit luctibus omne
Vulgus, et accenso persultat turba tumultu.
  Tum sancti cœpere duces promissa referre,
Solarique metum, fletusque abstergere dictis.
Quæsumus ingratos deponite mente timores,
Experti multum nec desperanda putetis

Quæ tantis spondent cœlestia munera signis.
Infidisne potest elabi cordibus unquam
Ægyptus tot cæsa malis, interque flagella
Succumbens quæ sensit humus, vos, cunctaque vestra
Afflicto regno salvos vixisse sub hoste?
Quid de transactis dicatur? nempe videtis
Ut mediatricis curet tutela columnæ,
Ne quid ab adversa liceat nos fraude vereri.
Quin magis erectas firma spe tollite mentes.
Ultima namque dies defixa est crastina genti,
Quæ nunc bella crepans sumptis confidit in armis.
Non sic pugna foret, nec telis tela feretis
Obvia, nec vestro vobis sudore triumphus
Hac vice proveniet, cœli pugnabitur ira,
Qua vobis placido peragentur prælia nutu.
   Talibus intenti vates dejecta levabant
Corda virum, sancta sedantes voce timorem.
At pontum validus ferventi flamine ventus
Urebat, tota consumens nocte profundum,
Contra naturam genitor dum fulminat undas,
Ardet et afflatus percusso in gurgite fluctus.
Jam matutinum pervenerat horrida tempus
Vix acies, primosque nitens aurora rubores
Spargebat mundo, tetris dum protinus omnes
Erumpunt castris, fremit undique mota juventus.
At pavidæ plebis postquam pervenit ad aures,
Clangentisque tubæ percussit pectora terror,
Arripiunt carpuntque viam, qua proxima ponti
Littora sollicitant rubro insignita liquore.
   Ut summas pelagi populus pervenit ad oras,

Cessit confestim ducti reverentia fluctus,
Expanditque viam, cui terram clauserat hostis.
Machina, pendentis struxit quam scena liquoris,
Frenatas celso suspenderat aere lymphas.
Aggreditur medium fugiens vincensque sequentes
Gens electâ Dei, figens vestigia terris
In regione maris: calcantur saxa profundi,
Conterit et nudum percurrens orbita limum.
Torridus aspectum scissis sol inserit undis,
Ignotamque novo contingit lumine terram:
Longior et radius spatium descendere tantum
Certavit, fessumque jubar vix intulit imis.
Credidit exclusos primum, fluctuque repulsos,
Inque fugam versos Pharius dare terga tyrannus.
Præcipitare moras tali jubet agmina verbo:
Ecce iterum fugitiva cohors pendentia bella
Deserit, auxilioque pedum confisa recedit:
Vos armis premite, et clausis insistite tantum,
Cætera pontus aget. Vix hæc perdixerat, illi
Prosiliunt, cursuque ruunt attingere littus.
Ut venere, vident arentis vasta profundi
Insolitam præbere viam, pansoque recessu
Ceu trepidas fugisse piis calcantibus undas/
Hos quoque per siccum tutos descendere callem
Securos pelagi atque sui, non arma, nec ipsum
Formidare satis patientem vincula pontum.
Substitit ad modicum restrictis motibus agmen,
Frenaque suspensos tenuerunt ducta jugales.
Atque aliquis, cui vel tenuem mutata calorem
Tunc scintilla dabat cordi, sic forte locutus:

Quis Deus a prisco detorquet cardine mundum
Lege nova, mutatque vices, et condita turbat?
Nam si servatur rebus natura creatis,
Monstriferæ quæ causa viæ? quid denique restat,
Si mare transitur gressu, nisi navibus arva
Sulcentur, cœlumque suo decurrat ab axe,
In superos inferna levent, plaga fervida cœli
Algeat, afflatam succendat scorpius ursam?
Hæc nisi confusus rerum subverterit ordo,
Non duce me quisquam sævum descenderit æquor,
Sit suspecta mihi quæ semita dirigit hostem.
Nam si bella velit librans æqualia numen,
Obice servata fugitivum clauserat agmen.
Nunc abeant, tantumque vagos sua monstra sequantur.
Nec satis amplector, siccum circumvenit alte
Quod pelagus, nudo celans discrimina fundo.
Excipit hæc ardens cum seditione tumultus,
Instantisque latens urget sententia lethi.
Vicerat æquoream pedibus plebs inclyta vallem,
Gurgitis et vacui convexa volumina linquens,
Post baratrum superas scandebat littore terras.
Effertur nigri dux agminis, et Pharaonem
Ira subit, proprio vocitatum nomine Cenchrem.
Arripiunt pariter reserati concava ponti,
Invaduntque viam. Quid non furor audeat amens?
Hinc equitum pars agmen agit, pars inde citatis
Ire jubet stimulis rapidas super arva quadrigas.
Ut medium venit frendens equitatus in æquor,
Accusatque moras tam lati gurgitis ardens
Ira virum, tremit arctato pars altera mundo:

Tum per sublimem splendenti nube columnam
De cœlo vox missa tonat, verbique superni
Interpres, sanctum compellans nomine Mosem,
Venit, ait, tempus, mea quo mandata probentur:
Ægypto jam finis erit, jam clade suprema
Tot castigatam vicibus sententia mentem
Puniet expugnans, ensis succede flagellis.
Tu modo divisum virga jam percute fluctum,
Atque reducta suos assumant æquora vultus.
Ille genu fixo siccati marginis oras,
Et littus cui fluctus abest, mox jussus adesse,
Percutit, insigni credens mysteria ligno.
Hinc subitus crepitare fragor, tonat undique circum
Lympha ruens, primumque illic committitur unda
Qua monstrabat iter Phario sors ultima regi.
Postquam clausa via est, fluctusque repellit euntem
Pœnitet intrati jam gurgitis, et fuga serum
Molitur reditum: trepidæ dant terga cohortes,
Armaque projiciunt; pontus fugientibus instat,
Occurritque sequens: perit undique circumjectus
Decurrentis aquæ laxatis murus habenis.
Ille ferus semper, jam mitis morte sub ipsa,
Non hæc humanis cedit victoria bellis,
Expugnamur, ait, cœloque evertimur hoste.
Effuge quisque potes, victusque evade satelles,
Nec jam tela Deo conatibus ingere cassis.
O si compunctas humana superbia mentes
Ante obitum mutare velit! quid denique prodest
Tunc finem posuisse malis, cum terminus urget?
Præsentis vitæ spatium cum ceditur ævo?

Confitearis, ait, sanus, scriptura, valensque.
Si tunc peccatum quisquam dimittere vovit
Cum peccare nequit, luxu dimittitur ipse.
Ergo exaltatis pendens sustollitur undis
Mox mergenda phalanx: lympharum monte levata,
Pondere telorum premitur, fundoque tenaci
Indutum revehunt morientia corpora ferrum.
Pars ex armatis cum primum libera membris
Implicuit nantes miseris complexibus artus,
Auxilio decepta perit, pariterque tenentes
Æterno sub fasce ruunt, nexique necantur.
Ast alii, lassata diu dum brachia jactant,
Incurrunt enses, jaculisque natantibus hærent,
Concolor et rubro miscetur sanguine pontus.
Quin et conspicuus princeps Memphitidis aulæ,
Candentes ducens nigro rectore jugales,
Inspector cladis propriæ, gentisque superstes
Ultimus ingressis per currum naufragat undis.
Bella vacant pugnante salo, vincitque quietus
Israel solo peragens certamina visu.
Tum vallis completa perit, fluctuque reverso
Ducitur extentum planati gurgitis æquor.
Littore jactantur tum tetra cadavera toto,
Exposuitque suum pelagus super arva triumphum.
Inclytus egregium solemni carmine ductor
Describit factum, toto quod psallitur orbe,
Cum purgata sacris deletur culpa fluentis,
Emittitque novam parientis lympha lavacri
Prolem, post veteres quos edidit Eva reatus.
De qua sermonem præmisso carmine sumpsit,

Luctificos replicat tenuis dum pagina lapsus.
Si quid triste fuit, dictum est quod paupere versu,
Terserit hoc sacri memorabilis unda triumphi,
Gaudia quo resonant, crimen quo tollitur omne
Per lavacrum, vivitque novus pereunte veterno :
Quo bona consurgunt, quo noxia facta necantur,
Israel verus sacris quo tingitur undis.
Consona quo resonat persultans turba trophæum,
Quo præcurrentis complentur dona figuræ,
Quæ pius explicuit per quinque volumina vates,
Nosque tubam stipula sequimur, numerumque tenentes
Ponimus hoc tenui cymbæ nunc littore portum.

ALCIMI

ED. AVITI

POEMATUM

LIBER SEXTUS.

DE CONSOLATORIA LAUDE CASTITATIS,

AD FUSCINAM SOROREM VIRGINEM DEO SACRATAM.

Suscipe complectens Christo dignissima virgo,
Alcimus ista tibi quæ mittit munera frater,
Inque levi calamo causarum respice pondus,
Et tenuis fortem commendet cantus amorem.
Nam quoties sanctum compleveris ordine cursum,
Alternos recinens dulci modulamine psalmos,
Quos vivens in corde chelys, virtute canora,
Interiore sono castis concentibus aptat:
Tum licet excusso libeat tibi ludere versu,
Atque fatigatam meditando absolvere mentem.
Non hic fallaci tingetur barbytos unda,
Pegasus unde leves prævertens motibus auras
Fingitur assumpto pendens hinnisse volatu,
Dum ferretur equi gravis ungula præpete penna.
Sed nec Pierio ducent hic cantica ludo,
Quas sibi ter ternas mentitur fama sorores,
Dat tibi germanum sed verax musica plectrum,

Et Christum resonans claudetur fistula Phœbo.
Edidit ut quartam genitrix Audentia prolem,
Teque dedit generi partu fecunda supremo:
Confestim parcam promittit ducere vitam,
Ac deinceps paribus castum servare cubile
Constituit votis carorum cura parentum.
Et quia principium tam sancti fœderis esses,
Tu simul offerris Christo, qui protinus ipsis
Accipit in cunis lactentia membra dicatis.
Sic quondam, cum prima novo splendesceret ortu
Terra nitens, pulchrasque darent sua semina fruges,
Viventem ducens ad sancta altaria fetum,
Innocuis sonuisse Deo balatibus agnum,
Insinuante fide justus cognoverat Abel,
Et capite oblato placuit grex totus ab uno.
Ergo ubi vitalis fovit te lympha lavacri,
Jamque suum peperit cœlestis gratia pignus:
Non tibi gemmato posuere monilia collo,
Nec te contexit, noto quæ fulgurat auro
Vestis ductilibus concludens fila talentis.
Nec te Sidonium bis cocti muricis ostrum
Induit, aut rutilo perlucens purpura fuco,
Mollia vel tactu quæ mittunt vellera Seres.
Nec tibi transfossis fixerunt auribus aurum,
Quo dependentes ornarent vulnera baccæ,
Et pretiosa quidem malas sed saxa gravarent.
Latius hæc vero sanctus describit Esaias,
Ornatusque refert varios, qui membra venustant,
Quæ mox pascendis præbebunt vermibus escam,
Et forsan dum vita manet: percurrere verbis

Morborum tot sæva potest discrimina nemo,
Ante obitum cuncti quæ formidare docemur.
Singula vel totis obnoxia mortibus esse,
Omnia dum proprio solvantur corpora fine,
Atque unus præstet reliquos desistere casus.
Et quid quisque cupit periturum comere vultum,
Interior dum sordet homo, ac se crimine turpat?
Sed tibi cum geminum tetigerunt tempora lustrum,
Mox stola sincero velat te candida cultu,
Virginis os habitumque decens, et concipit omnem
Floribus in primis jam mens matura pudorem.
Haud secus exsultans sterilis, post damna juventæ
Fecundata novum cum ferret femina fetum,
Vestem læta suo parvam texebat alumno,
Disceret ut Samuel jam tum puer esse sacerdos.
Sic te læta domus sanctis altaribus aptans,
Assueto docuit dignam concrescere templo,
Scribens in thalamos ac magni fœdera regis.
Et cupit electam speciem sibi jungere Christus,
Ornatu vario ditat quam gratia poliens.
Hæc ubi respirans prævenit gaudia mater,
Ac tibi collatum parvo conspexit in ævo
Grande bonum, teneris dum virtus creditur annis,
Teque reparturiens melius quam corporis alvo,
Spemque metumque inter, quanquam jam libera voto,
Fert tamen attonitas sic læta quod anxia curas,
Insinuans causam lacrymis, tum talia mandat.
Ortu quarta quidem, sacro sed munere prima,
Dulcis nata mihi, cœlo quam carne fideque
Bis genui, Christoque rudem de ventre dicavi,

Hactenus hoc nostrum fuerat, sed tempore ducto
Jam decet esse tuum : nam quod servabere virgo,
A me principium, tibi pervenit; omnia posse
Incipies, cum velle subest; vestigia fervent,
Per quæ sectato conscendas tramite cœlum :
Nec desunt exempla domi. Nam respice quantas
Virginibus florens jam nostrum stemma coronas
Miserit in cœlum, sancto quas dogmate mater
Severiana levans, et te conjungier optat.
Nec multo senior nunc gaudens Aspida, quondam
Sacratum velata caput, tua munia sumpsit,
Bissenos jungens sanctis altaribus annos.
Quam licet hinc celeri tulerit sors ultima letho,
Nil tamen est subitum semper migrare paratis.
Aspice nunc columen, gemina quod virgine fulget,
Eximiumque decus, cujus tu jure propinqua
Fuscinam Fuscina refers : nec segnius illam,
Quæ pietate potens, Graia si voce sonetur,
Significat propriam sumpto de nomine mentem.
Queis licet emeritum cedant sua secula culmen,
Vitaque sublimi cunctis præpolleat arce,
Has generosa tamen matres si corde sequaris,
Gaudebunt vinci dum proficis, ac tibi summam
Sponte dabunt palmam superanti vota magistræ.
Hæc dicens teneros sancto exhortamine sensus
Impulit, accendens ad virginitatis amorem.
Sic mater fecunda utero, fecundior actu,
Machabæa potens, et prolis funere felix,
Orbari gaudens, animo vincente senectam,
Edocet hortando sobolem non cedere mundo,

Inflammatque pios ad fortia facta furores.
Quid tua nunc repetam, tenero quæ fortior ævo,
Ante annos animumque gerens, responsa dedisti?
Non hæc parva tuam suscepit pagina laudem.
Exitus impleto veniet cum tempore victor,
Laus melius canitur, cum jam clamante triumpho,
Consummata tuis reddentur præmia factis.
Nunc decet attonitos cauta te voce monere,
Sollicitas tecum partiri ac volvere curas,
Atque juvare tuos hortantia dicta labores,
Dum pugnat varius per crebra pericula casus,
Lubrica dum fragili currit sub tramite vita,
Dum tua calcatus captat vestigia serpens,
Ascendens dextro quem conterat aggere planta.
Nil non intentum præsentia secula ducunt,
Nec secura datur requies in carne caduca.
Vertuntur nam sæpe boni, perit obruta virtus,
Partaque transactæ decedunt præmia laudis:
Ac plerumque solet, subito succensa calore,
Frigida quæ nuper fuerat, mens linquere mundum,
Atque repentino restringere crimina freno.
Sic alternantem commutant fata rotatum,
Impius ut speret veniam, justusque timendo
Proficiens, cumulum magnis virtutibus addat.
Nam studium sancti laxet si forte laboris,
Pigraque consuetas dissolvant otia curas,
Labitur in præceps damnosæ gloria vitæ.
Stare nequit meritum, si non acquirit eundo,
Amittit rediens: nitendum est viribus amplis,
Ut satis angustum observent vestigia callem.

Nam qui diffusam spatio laxante plateam
Mundanis ludens facili nunc aggere currit,
Strictior hunc carcer crudeli sorte ligabit.
Tu modo da veniam qui te exhortatur amori,
Currentemque monet, cum vix tamen ipse sequatur,
Suadet veloci tardus compendia gressus.
Namque ad doctrinam, canimus quam paupere versu
Tu melius jam docta venis, quæ junior ortu,
Relligione prior, vivendi jura dicasti,
Annorumque sequens, meritorum sorte superstas.
Quod si consequimur, jam nostrum forte putetur:
Quod sequimur, tamen hocce tuum est: conversio fratrum
Exemplo debenda pio, te respicit auctor,
Primitiasque in te sacris de fructibus offert:
Indicit sed sancta fides, ut corde propinquo
Participata levet fraternum sarcina pondus.
Tu germana, pium quæ ducis ab ubere fascem,
Non carnis, sed legis habes cervice fideli
Subdita ferre jugum, nec vincla in conjugis ire:
Mundanas odisse vias, percurrere mundas:
Illinc nolle toros, hinc sponsum quærere Christum,
Sic tædas tempsisse, pio quod amore calere,
Pigra voluptati fervescere corda labori,
Ignorare virum, fetus tamen edere tales,
Quos tristis nunquam possit tibi tollere casus.
Non orbata gemes fecundæ pignora vitæ,
Nec viduam sponso metues superesse perenni,
Expers ipsa mali: nec te sententia tanget,
Qua prolis mortisque parens compellitur Eva,

Occisam pariens sobolem vivente reatu.
Quæ subjecta viro, dominum passura cubilis,
Servit in obsceno tolerans connubia lecto.
Sic captiva tori, cum portet nomen inane,
Conjugis et vana dicatur imagine consors,
Sola jugo premitur non æquam ducere sortem.
Et cum longa decem tulerint fastidia menses,
Perfectoque gravis fetu distenditur alvus,
Semina quæ patris fuerant, hæc pondera matri
Infligunt duros utero turgente dolores.
Nam cum luctato solvuntur viscera partu,
Una luit, tanto carnis discrimine pendens
Quod coiere duo: spes palpat forte dolentem,
Editus in lucem si vivat filius: atqui
Contingit plerumque gemens ut mortua fundat.
Sæpe etiam soboli nec mortis tempore natæ
Dant geminum matris commortua membra sepulcrum.
Illud jam levius quoties intervenit, ipsa
Ut pereat tum sola parens, ac pondere fuso
Emittat cum prole animam? quid forte levatum
Nutritumque diu rapitur si funere pignus,
Unica quod crebro spes respicit, et perit omne
Quod sibi conceptis spondebant gaudia votis?
Omnibus his illud gravius, si forte carentem
Cœlesti lavacro tenerum mors invida natum
Præripiat dura generatum sorte gehennæ.
Quique, genitricis cessat cum filius esse,
Perditionis erit: tristes tunc edita nolunt,
Quæ flammis tantum genuerunt, membra parentes.
Quis memorare queat tanti discrimina casus,

In quæ pertrahitur dilectæ gloria carnis?
At late longeque tuam discernere sortem
Libertas cum lege potest qua necteris, ut te
Impia fallentis non stringant vincula mundi.
Tu Mariam sequeris, dono cui contigit alto
Virginis et matris gemina gaudere corona,
Conciperet cum carne Deum, cœlique creator
Intraret clausum reserans mysteria ventrem.
A genitrice satus, sed quam formaverat ipse,
Elegit nitidam de qua procederet alvum,
Solus qui carnis proprium disponeret ortum,
Præsciretque diem longe, tempusque videret
Quo pariendus erat: præcessit membra voluntas.
Ipse Deus Verbum, vestitum viscere sumpto,
Qui cum patre jubet, materno in corpore servit,
Suscipit et famulum dominus, qui jusserat ævum.
Tempora per patrem, per matrem semina nescit.
Illa quidem fecunda fuit, quæ pondere casto
Factorem portare suum, dominumque perennem
Edere promeruit: sed nec tibi gloria tanti
Defuerit facti, Christum si credula corde
Concipiens, operum parias pia germina cœlo.
Si quis, ait, nostram compleverit ordine legem,
Hic mihi semper erit frater, materque, sororque.
Aspicis ut sexu careat cœlestis imago,
Interior sortitus homo quam mente retentat?
Præbuit exemplum surgens a morte redemptor,
Femineum maribus cum sic præponit honorem.
Gustavit sumptam nostro pro crimine mortem,
In crucis excelso pendens sine crimine Christus.

Atque animam, vivos quæ mox remearet in artus,
Fixus adhuc sancto clavis efflaverat ore.
Deseruit populi spectacula talia cœtus,
Signaque ferre nequit, cœlum quæ triste minatur.
Nam sol obductus, vultumque retortus ab orbe,
Cesserat injustas nocturnis luctibus horas,
Atque peregrinis aditum dedit ipse tenebris,
Temporibus magno mutatis ordine rerum.
Nox erat in superis, lucemque inferna videbant,
Contremuit tellus, et nisu mœnia magno
Concussis sumno nutabant vertice cristis.
Senserunt motum priscis descendere saxa
Jussa locis, sonitusque novos collisa dederunt.
Hos inter strepitus, cunctis fugientibus, illæ
Decernunt, quanquam trepidæ, persistere matres,
Pervigil ut sancto sic vivens cura sepulcro
Serviat, et voto præsens persolvat honorem.
Pinguia fragranti componunt illita succo,
Quæ salvans salvum servarent lintea corpus.
His amor expensis lugubria dona parabat,
Supremum credens semet persolvere munus.
Et cum sic breviter prævenerit ista resurgens,
Quod credebatur servandum poscere munus,
Quo non indiguit, placatur munere Christus.
Pro quo respondens confestim gratia, præstat
Angelicos cernant humana ut lumina vultus.
Splendida candebat cœlesti in corpore vestis,
Et vultum rutilus resperserat undique fulgor,
Matribus ut dignis verbum cœleste sonaret,
Angelus alloquitur sancto quas taliter ore :

Femineo sexu mentes transite viriles,
Nec trepidate novo fortissima corda tumultu.
Adversos hæc signa petunt, vos nulla timendi
Causa manet, quos cura pii confirmat amoris.
Quæritis, agnosco, pretiosa in sede sepulcri
Solemni nuper tumulatum funere IESUM.
Sed meminisse decet quid præscius ore fideli
Dixerit ante obitum, duplici non amplius ulla
Servandum se nocte, et jamjam tertius hic est
Qui complet promissa dies: patet ecce sepulcrum,
Deseruit vacuum victa quod morte resurgens.
Taliter excelsus jusso sermone minister,
Sparsurus mundo vitalis dona triumphi,
Has primum gaudere dedit, luctuque levavit.
Ibant impavidæ læto jam pectore matres,
Credula conceptæ servantes corda saluti,
Cum medium sese Christus gradientibus offert,
Agnoscique jubet, blando et sermone salutat.
Ite, ait, et nostris hæc jam mandata referte
Discipulis, norint ut surrexisse magistrum.
Illæ complexis defigunt oscula plantis,
Atque ad discipulos alacri cum mente recurrunt,
Doctoresque docent, et quæ spargenda per orbem
Primum femineis instructi discere verbis,
Agnoscunt animam potius quam vivere sexum.
Communis virtus igitur, commune periclum
Matribus atque viris, nulla est distantia cordis,
Rectum velle subest, si gratia constat utrisque,
Cui tamen attento desudet vita labore.
Aut quid dona juvant hominem, si mente soluta

Turpia collatum disperdant otia munus?
Auxilium conatus amat : quis namque vacantem
Adjuvet, aut somno virtutem jungat inerti?
Cœlestis rex ille, parans discedere terris,
Argentum famulis, ut quis virtute valebat,
Quinque minas primo, duplicem dat sorte secundo,
Atque impar magnis suscepit tertius unam.
Tunc sic discedens famulos simul instruit omnes :
Nunc si quis vestrum devota mente fidelis
(Experiar) fuerit, quæstu noscendus ab isto
Qua quis sit virtute potens, qua præditus arte.
Thesauros geminate meos, usuque polite,
Livida ne facies pulla rubigine tinguat
Accipitis nitidum pura quod fronte metallum.
Si redeam, meritis addentur præmia justis.
Dixit, et abscessu cœlestia regna petivit.
Incubuere duo studii certamine vernæ.
Fenerat ille citus partem splendentis acervi,
Pauperibus largo dispensans plurima dono,
Crescit et in cumulos quidquid confertur egenis.
Exponens alter sacri mysteria verbi,
Usuras sancto gaudet concrescere lucro,
Et cupidus recti vitam dum prædicat addit.
At solus minimo sumpsit qui pondere libram
Defossis scrobibus marsupia mersa locavit,
Degenerique fluens elegit vivere luxu.
Sed judex tandem finito tempore mundi
Regreditur, cujusque moram despexerat, excors
Contemnit servus reditum; tunc omnibus ille
Ut doceant ratione jubet quem tempore tanto

Poscenti reddant operata negotia fructum.
Argentum gemini geminata mole ministri
Promunt, et læto referunt commercia vultu.
Tertius ille piger drachmam tellure latentem
Promit, quæ juncti sorbens contagia cœni
Perdiderat proprios incluso lumine vultus.
Illum terribili dominus tunc increpat ore:
Tantane te nostri tenuere oblivia segnem,
Serve piger, reditusque mei sic cura refugit?
Argentum, nitida quod purum luce tulisti,
En tetrum pressumque refers. Nam cognita quondam
Delituit, nec respondens, ut sæpe solebat,
Forma mihi, vultusque mei non paret imago
Assignata tibi: sed si ferrentur ad usus,
Altarisque mei tetigissent credita mensam,
Cresceret inscriptus nostro de nomine nummus.
Nunc igitur famuli vos totum ferte fideles,
Addat ut utilibus sors ultima, tollat inerti.
Improbus in paucis hic dignus non erit ullis:
Quisque voluntatem noscens contemnit herilem,
Cæditur hic multis, paucis qui nescius errat.
Ergo age, succinctis ad fortia prælia lumbis
Armata cum mente veni, nec femina bellum
Formides quod mens peragit; nam gloria dudum
Sexus ista tui nota est tibi sæpe legendo.
Nec dubiam te nosse reor, cum Debbora quondam
Duceret instructas post fortia classica turmas,
Et mulier sumpto præcederet agmina signo,
Mirantes hortata viros, quos ipsa ducatu,
Exemplo, verboque monens accendit in hostem.

Sed postquam ducens princeps animosa catervas
Impulit accendens vegetata furoribus arma,
Barbaricæ cecidere manus : dissolvitur omnis
Hostilis virtus, et qua se femina monstrat,
Palantes dant terga viri, latebramque petentes
Si vivant, vicisse putant. Tunc maximus ipse,
Forma gigantææ junxit quem corpore molis,
Immensamque levans produxit verticis arcem,
Rex Sisara fugam, telorum fasce rejecto,
Incomitatus agit, metuens sublime notari
Corpus, et excelsa fugitivum prodere massa.
Sed postquam latuisse putans, tectoque receptus,
Mollia perpetuo dimisit lumina somno,
Hunc etiam sternit mulier, terraque jacenti
Malleus infixo transfodit tempora clavo.
Femineus sic ille fuit per cuncta triumphus.
At tu virgo Dei sanctis quam moribus ornant
Hinc pudor, inde fides, internis fortior armis
Bella geris, justis sævus quæ commovet hostis.
Spes tibi fida foret felix in vertice cassis,
Contineat lumbos pretiosi zona pudoris,
Justitiæ lorica tuos constringat amictus,
Pro gladio verbum semper tueatur acutum.
Has virtutis opes, hæc sic solatia belli
Describens, mentis varias cum corpore pugnas
Prudenti quondam cecinit Prudentius ore.
Namque ibi bellatrix, et pleno robore pollens,
Virginitas armata venit : quam fœda libido
Appetit, et casso vocat in certamina nisu.
Sic bellatricem te sentiat æmulus anguis,

Cumque lacessitæ concedent prælia palmam,
Læta feras summum calcato ex hoste trophæum.
Nam quidquid sacræ divina volumina legis
Eloquio sensuque docent, quod prædicat ipse
Antiquus mundi replicans exordia vates,
Sive ille historias texat, seu forte figuras,
Quod diversa retro multorum tempora regum
Post Ruth succiduo gesserunt ordine magnum:
Vel quos post reprobum Davidica regna Saulem
Ter quinquageno scripserunt carmine psalmos.
Pacificus quidquid lata inter sceptra Salomon
Obscurum sensu per clara proverbia dixit:
Quodque bis octoni post se videre prophetæ,
Quod clausum Job mitis ait cum vulnere aperto.
Hester quid memorem, et castæ mendacia Judith,
Ornati cum fraude Satraps accenditur oris,
Cum meat illudens obscenum femina lectum,
Desectoque feros compescit vertice visus?
Quod melius cernens cæcato in corpore Tobi,
Quæ secreta videns perscripsit conditor Esdras.
Quidquid post priscam succedens gratia legem
Intonat, atque novi miracula Testamenti
Hinc hominis clamat facies, vox inde leonis,
Et pernix aquila, et fortis certamine taurus.
Inde quater terni puris quod mentibus agni
Egerunt toto spargentes semina mundo.
Bis septena pii quod spargit epistola Pauli,
Quod Petrus Iacobusque docent, quod Judas, et ipse
Qui conspecta refert cœli secreta Joannes.
Quin et veridici quæ plurima tractatores

Exposuere suis mysteria digna libellis,
Hæc tu cuncta tenens animo sitiente bibisti.
Nec si quid sacrum nostri cecinere poetæ
Te latet agnostique legens, et condita servas,
Atque aliena tuo commendas carmina cantu.
Quid totum replicem? tu sensibus utere doctis,
Et quæ nota tibi, vel quæ percursa legendo,
Ad virtutis opus studio converte virili.
Nam nisi doctrinæ jungatur vita fidelis,
Agnosci gravius non observanda nocebit.
Esuriit postquam dominus, cum forte vianti
Conspicitur diffusa levi ficulnea fronde,
Nec jam maturum prædicta ex arbore fructum
Carpere tempus erat; quam mox ut repperit ille
Indutam tantum foliis, sed germine nudam,
Prorsus inane virens ornatus inutilis horret:
Percutitur subito radix afflata calore,
Aruit et posito ramorum tegmine truncus.
Instruimur tali legem cognoscere signo,
Ne Christi famulo, solo sermone fatenti,
Nomine confesso vivens operatio desit.
Nam si Christicolas nosmet sanctosque putamus,
Aggravat hoc etiam, ni dictum facta sequantur.
Sic et virginitas sacro devota pudori,
Indiget adjunctis virtutibus: et nisi mentem
Intactam servans casto cum corpore jungat,
Succumbit vitiis, nec castam dicere carnem
Jure potest, animus quam sic corrumpit adulter.
Ira, furor, mœror, livor, discordia, luxus,
Lingua duplex, constricta manus, laxata voluptas,

Mœchantur cum corde hominis, tum semina mortis
Fetus mortis alunt: en quo perducitur omnis,
Nomine virgineo quæ se dum jactitat, intus
Criminibus gravidam nescit turgescere mentem!
Ecce tibi e multis unum, quo cætera noscas,
Exemplum. Dominus plebem cum forte doceret
Pervigili cura supremum noscere tempus,
Exspectare diem quo judex imminet orbi,
Virginibus sancto signatos chrismate confert,
Hasque decem nobis documenti in vertice monstrat,
Quarum quinque tamen sapientia dives adornat,
Ast aliis stolidum lentavit inertia sensum.
Sopitas pariter requies complectitur una,
Atque obitum signans depressit lumina somnus.
Transierat medium vix forte quietis, et illud
Tempus erat noctis, quo Christus carne recepta
Fregerat obstructas, perrupto cardine lethi,
Jam portas inferne tuas, spretoque sepulcro
Devictis læta remeabat luce tenebris.
Perstrepuit subitus rumpitque silentia clamor,
Tandem sponsus adest, nocturnus corpore torpor
Abscedat, sapidæ raptim properate puellæ.
Protinus exsiliunt omnes, stratisque relictis,
Aptavere suas quæsito lumine flammas.
Tunc sed quinque, quibus cordi solertia major,
Quamvis festinant, oleum tamen addere sumptis
Sollicitudo fuit vasis, pinguique liquore
Ignibus armatis squalentem rumpere noctem.
At quæ neglectum liquit pars altera succum,
Sumens flammigeras nequicquam sustulit hastas.

Emicat exiguus commoti luminis ignis,
Sed virtute carens languentem lampada fervor
Deserit, et siccam percurrit flamma papyrum,
Atque inter picei nebulosa volumina fumi
Vanescunt pigra crescentes mole favillæ.
Ut sese indignas tali videre paratu,
Occurrant sponso quæ comminus advenienti,
Tarda movet lentis pudibundum cura laborem.
Quæ prece submissa stultis tum vocibus orant,
Ut porrecta manus torpentes suscitet ignes,
Dividat et proprium sapientia pinguis olivum.
Respondent pariter tali sermone sorores:
Est miseranda quidem vestrorum causa malorum,
Sed tamen hic oleum non plus quam sufficit affert
Unusquisque sibi, constat quia copia vasis,
Et perfecta suum servat mensura liquorem.
Nec fas quæsitum partiri aut perdere succum,
Ne dispersa cavis desint fomenta lucernis;
Cumque lucrum vobis dispendia nostra parabunt,
Tota simul fessis torpescant lumina flammis.
Talibus abjectæ dictis, tristique repulsa,
Perlustrant quocunque loci commercia fervent,
Venalesque manus: sed dum disceditur, ecce
Introiit sponsus thalamum, induxitque paratas,
Atque vagas linquens exclusit porta sorores.
Cernis virginei pereat quod nomen honoris,
Ni fertur sanctus thalamis cœlestibus ignis.
Felix illa manus, largis quæ provida donis
Accensum pura fovit pinguedine lumen.
Tantum namque olei vasis diffunditur amplis,

Quantum poscenti miserans porrexit egeno.
Hinc dominus palmis ardentes ferre lucernas
Admonet, hoc opus est, hæc claræ gloria vitæ.
Suppetat ergo tibi pietas, patientia, virtus,
Sed virtus animi; fragiles nam carne puellas
Protulit interdum cœlo constantia mentis.
  Eugeniæ dudum toto celeberrima mundo
Fama fuit, dum dat Christi pro nomine vitam.
Ante tamen mulier fortes processit in actus,
Cum stipante choro sanctorum fieret Abbas,
Atque patrem complens celaret tegmine matrem.
Sed postquam sancto cunctis perclaruit ore,
Et meritis annisque graves, longaque verendos
Relligione senes juvenili rexit in ævo:
Impatiens recti, toto qui tempore serpens
Mille nocendi artes, stimulisque inflammat amoris,
Quo famam violare cupit, dedit inde coronam.
Commovet insano qui fingat amore puellæ
Accendi Eugeniam, motuque ardere virili.
Turba senum turbata coit, quod crimine tanto
Tam rigidam nuper potuisset solvere vitam
Mens dejecta viri, viduataque præsule summo
Nil non posse dolet titubans perfectio carnem.
Ducitur iste foro juvenis, sævumque tribunal
Intrat adhuc monachus: vincit concordia fraudis,
Et jam jamque reum secreti ignara tenebat
Publica vis, odio tantum flammata sinistro.
Conscia tum sexus proprii, cordisque pudici,
Vincitur ut vincat jam prodens femina fraudem,
Quamvis exterius carnem compulsa fateri,

Interiore tamen servato permanet heros.
Semper tuta fuit casti custodia voti,
Quamlibet impugnet miseri fraus callida mundi,
Extendatque dolis laqueos, mendacia nectat,
Non venit ad pronam mens culpæ ignara ruinam.
Quosque fremens hostis fallaci tribulat astu,
Purgandos sancto patientia discutit igni.
Vendiderat quondam juvenem manus æmula fratrum,
Et famulum Joseph tellus Memphitis habebat:
Pertulit ille quidem dominum, cum crimine falso
Confictus voluisse nefas, quod triste refugit,
Sustinuit tolerans ergastula, vincla, catenas,
Dum spatium replicans geminos sol junxerat annos.
Oblitus jam lucis erat, jam crine fluenti
Nutritus macie tangebat terga capillus.
Sed vegetante Deo mens nullis clausa tenebris
Prævidet arcanum quidquid post exitus implet.
Denique producto certatim gloria fertur,
Non tantum venia: et precibus tunc ipse rogatus,
Ut diadema libens captivo in vertice sumat,
Exsilium regno commutat, principe servum.
Præmia servati cordis sic percipit iste.
Susannam post hunc dignis quis laudibus unquam
Excolat, infirmis quondam quæ vicit in annis
Improba vota senum, conjuratosque furores?
Primum disjuncto quos cepit causa viritim
Consilio, solusque sibi promisit uterque
Spem culpæ, sed turpe calens in cordibus ignis
Conflavit mentem sceleris fornace duorum.

Conveniunt, nam forte die sic contigit una,
Abscessu ficto diversa ut parte redirent.
Inque nemus venere simul, vulgata vicissim
Panditur alterno flagrans in corde voluptas.
Ilicet incautam fallentes fraude puellam
Appetiere simul : poscunt consentiat ante
Dedecoris tantum moveat quam fama rebelli,
Moxque retorquendum facinus, ni cedat, in ipsam.
Confessi ardorem pariter mendacia produnt
Disposita, et laqueos pandunt, quos nectere vellent.
Anceps illa diu secum luctatur, et hærens
Fluctuat incertæ quo vergant pondera mentis:
Lex peccare vetat, rursusque infamia terret.
Hinc iterum duros precibus mollire furores
Tentat, et obscenas lacrymis restinguere flammas.
Sed postquam nullis precibus monitisque remotos
Obstrictosque senes vicit cognata libido:
Femina præclaro mentem succénsa pudore
Decrevit tunc casta mori, ne crimine tanto
Ambirent miseram carnis commercia vitam.
Cœlum teste vocat, famamque recusat inanem
Judicio contenta suo : cum conscia corda
Commendat superæ fidei, servatque futuris.
Maluit ille tamen secreti inspector apertum
Examen præstare loco, facinusque reclusum
Pandere, et objectas laqueis producere fraudes.
Spectabat vanis commotam fletibus urbem
Junior ille puer, pueris tribus ipse futurus
Post comes, undanti quos jecit Parthica flammæ
Contempto imperio flammis ferventior ira.

Arsit contracto pariter crescente calore
Hinc furor, inde fides, sanctis dum mollior ignis
Serviit, et tepido collusit pruna rubore:
Donec miratus cessare incendia Satraps
Jussit, et adstantes flammarum copia cinxit.
Hos meritis æquans Danielis proxima virtus
Horrida frendentum compescuit ora leonum,
Dum prius accensi stimulis famis atque furoris,
Frenatoque simul sternentes corpora rictu,
Incolumem lambunt inter jejunia pastum,
Cum sumat tamen iste cibos, quos vertice pendens
Angelica librante manu per inane citatus,
Subjectas calcans immotis gressibus auras,
Intulit illatus fascis cum fasce propheta.
Excepit Daniel transmissas desuper escas.
Fercula longinquis migrant ferventia terris,
Asservantque suos peregrina in sede sapores.
Hic ergo impubes Susannam forte videbat
In tormenta rapi, veri quam nescius ante
Vulgus inauditam damnaverat, et simul omnes
Insontis sontem certabant cernere mortem:
Cum subito in medium juvenis se proripit agmen,
Accensum tenera castigans voce tumultum:
Cur tanto ex cœtu nullus rem judicat, ac se
Liber ad injustum clamat non currere lethum?
Protinus ad verbum pueri permota repressit
Turba sequax animos: judex decernitur ipse,
Consultorque senum, per quem via vera patescat.
Consulit avulsos quisnam sit criminis ordo:
Sed dum discordans responsum præbet uterque,

Conjunctum facinus disjuncta voce fatentur.
Tunc omnes pariter timor accipit : undique clamor
Tollitur, auctores sceleris plebs obruit omnis,
Laudaturque Deus, qui nunquam vota bonorum
Deserit, auxiliumque suum pro tempore monstrat.
Et tamen his prior est quæ virginitate pudica
Intactum præfert ad vota perennia corpus.
Nam si terrena nubentem lege puellam
Asservasse toros, atque unum nosse cubile,
Mortali tantum laudatur judice cœtu,
Conjice virgineis quantum disponitur illic
Quo Christus vocat hinc meritis, ubi sede superna
Humanum in partes dirimet genus arbiter orbis,
Agnos dextra levans lævos contemnet ut hœdos.
Stabunt Angelici mirantes facta bonorum
Laudantesque chori, cunctis commune patebit
Decursæ carnis meritum : fraus nulla tenebris
Abdere, vel notas poterit subducere culpas.
Illic nota tibi subsistens vita petatur,
Quo justus ditat dispensans præmia judex.
Quondam succincte quod dictum est ore magistri,
Dum viget officio famulans solertia Marthæ,
Attentamque tenet verbi virtute sororem
Cura cibo melior, pastu quæ digna perenni.
Tunc vacuas domino depromens Martha querelas,
O doctor non cernis, ait, quod sola paratu
Vexor, et hæc nullum confert germana levamen?
Cui Christus sic forte refert : Sunt plurima quæ te
Obstrictam retinent, melior sed causa quietis,
Lectaque nec poterit Mariæ pars optima tolli.

Sic, germana, suis dum flagrant secula curis,
Electam servare tibi non desine partem.
Te meruit primam cognatio tota patronam,
Jam te signiferam sequimur, vexillaque Christi
Te portante libens sectatur stemma parentum :
Quos licet antiquo mundus donasset honore,
Et titulis monstret generoso semper ab ortu :
Plus tamen ornavit divinum insigne gerentes,
Ordine quod proprio sanctas meruere cathedras.
Non atavos jam nunc tibimet proavosque retexam,
Vita sacerdotes quos reddidit inclyta dignos :
Pontificem sacris assumptum respice patrem.
Cumque tibi genitor vel avunculus undique magni
Post fasces placeant populorum sumere fascem,
Suscipe quos humiles patrum ad consortia fratres
Officio similes nectens Ecclesia junxit.
Pro quibus assiduas Christo persolvere grates,
Fundere vel fletus non tædeat : ut tibi nullus
Fratrum de numero desit, cum præmia sumes
Factis digna tuis, materque effecta parentum
Virgineæ victrix sociabere læta coronæ.

PROSPERUS.

DIVI

PROSPERI

IN CARMEN

ΠΕΡΙ ΑΧΑΡΙΣΤΩΝ

PRÆFATIO.

Unde voluntatis sanctæ subsistat origo,
 Unde animis pietas insit, et unde fides:
Adversum Ingratos, falsâ et virtute superbos,
 Centenis decies versibus excolui.
Quos si tranquilla studeas cognoscere cura,
 Tutus ab adverso turbine, Lector, eris.
Nec libertate arbitrii rapiere rebellis,
 Ulla nec audebis dona negare Dei.
Sed bona quæ tibi sunt, operante fatebere Christo,
 Non esse ex merito sumpta, sed ad meritum.

DIVI

PROSPERI

CARMEN

DE INGRATIS.

LIBER PRIMUS.

CONGENITÆ in Christo gentis mihi castus ab alto
nsinuatus amor, proprias excedere vires
Ie jubet, atque pias accendere carmine mentes:
e post confectum celebris victoria bellum
ecuros animos incauta pace resolvat;
eu metus eliso jam nullus ab hoste supersit,
ec caput attriti virosum palpitet anguis.
Unde igitur commenta mali sopita resurgant,
uemve ipso de fine dolum nova promat origo,
a fari, Pater omnipotens, artemque malignam
andere, prostratus qua rursum nititur error.
Dogma quod antiqui satiatum felle draconis
estifero vomuit coluber sermone Britannus,
ac primos homines cretos ditione ferebat,
seu præscriptum mandatum transgrederentur,
ve inculpati servata lege manerent,
ortem istam prorsus qua carnem vita relinquit

Oppeterent, quæ non peccato parta, sed ipso
Instituente Deo comes esset fixa creatis.
Progenitos igitur nullum traxisse reatum
De patribus, neque dissimiles nunc nascier illo
Ortu primorum, qui libertate male usi
Peccarunt, forma nocui non semine proli.
Posse autem insontes omnes virtutis in arce
Vitam agere, et menti ingenitum servare decorem:
Arbitrio quoniam subsistat recta volentis
Naturalis honos, Lexque insita cordibus intus
Hoc moneat quod scripta foris: cui Gratia Christi
Addita, perfugium lapsis generaliter in se
Condiderit, sacro si vellent fonte novari:
Ut sponte attractum venia solvente reatum,
Sponte sua in vires proprias natura rediret:
Quoque per errores esset spoliata vigore,
Hunc servare semel posset purgata receptum.
Tam dives vero hoc donum Baptismatis esse,
Et tam multa homini conferri fœdere in isto,
Ut parvis etiam vitioque carentibus omni
Congruat, ut qui sunt geniti bene, sint meliores,
Naturæque bonum adjecto illustretur honore.
Nullum autem ex cunctis exsortem muneris hujus
Judicio genitum esse Dei, sed quemque mereri
Libertate sua, ut capiat promissa vocantis
Quæ sint aversis indebita, debita rectis.
Talia cum demens late diffunderet error,
Commentisque rudes traheret lethalibus aures,
Adfuit exhortante Deo provisa per orbem
Sanctorum pia cura Patrum, non dispare motu

Conficiens diros jaculis cœlestibus hostes,
Iisdem namque simul decretis Spiritus unus
Intonuit. Pestem subeuntem prima recidit
Sedes Roma Petri, quæ Pastoralis honoris
Facta caput mundo, quidquid non possidet armis,
Religione tenet. Non segnior inde Orientis
Rectorum cura emicuit: captumque nefandi
Dogmatis auctorem constrinxit lege benigna
Commentum damnare suum, nisi corpore Christi
Abjungi, et sancto mallet grege dissociari.
Lene quidem hoc, nimiumque malos tolerasse videtur
Judicium: sed sancta fides examine in illo
Vicit oborturam diro de semine prolem.
Prospectum namque est, divino et munere cautum,
Ut licet instantem declinans bestia pœnam,
Perfidiæ secum sensus tenuisset eosdem,
Ipsa tamen proprium germen damnando necaret,
Ore malam exstinguens sobolem quam protulit ore.
Tunc etiam Bethlei præclari nominis hospes,
Hebræo simul et Graio, Latioque venustus
Eloquio, morum exemplar, mundique magister
Hieronymus, libris valde excellentibus hostem
Dissecuit, noscique dedit quo turbine veram
Vellent exortæ lucem obscurare tenebræ.
Quid loquar, et curam magna quam gessit in urbe
Constantinopoli docto bonus ore Sacerdos
Atticus, antiqua legatos Hæreticorum
Confutando fide de qua tunc impia corda
Quamvis se obducta tegerent velamine forma
Judicii et tacitæ tulerant tormenta repulsæ?

Prætereo quanto fuerit bene mota tumultu
Clara Ephesus, non passa suis consistere tectis
Vasa iræ, et morbi flatus, et semina mortis.
Quaque fide tellus etiam Trinacria fervens
Agmen vipereum propriis exegerit oris?
Tu causam fidei flagrantius, Africa nostra,
Exsequeris, tecumque suum jungente vigorem
Juris Apostolici solio, fera viscera belli
Conficis, et lato prosternis limite victos.
Convenere tuis de cunctis urbibus almi
Pontifices, geminoque Senum celeberrima cœtu
Decernis quod Roma probet, quod regna sequantur.
Nec sola est illic Synodorum exerta potestas,
Ceu quos non possent ratione evincere nostri,
Vi premerent: discussæ artes, virusque retectum est
Hæretici sensus; nullumque omnino relictum
Docta fides quod non dissolveret argumentum.
Condita sunt et scripta manent, quæ de cataractis
Æterni fontis fluxere undante meatu,
Et tercentenis procerum sunt edita linguis:
Sic moderante suam legem bonitate severa,
Ut qui damnato vellent de errore reverti,
Acciperent pacem, pulsis qui prava tenerent.
An alium in finem posset procedere sanctum
Concilium, cui dux Aurelius, ingeniumque
Augustinus erat? Quem Christi gratia cornu
Uberiore rigans, nostro lumen dedit ævo
Accensum vero de lumine: nam cibus illi
Et vita, et requies Deus est; omnisque voluptas
Unus amor Christi est, unus Christi est honor illi:

Et dum nulla sibi tribuit bona, fit Deus illi
Omnia, et in sancto regnat sapientia templo.
Istius ergo inter cunctos qui de grege sancto
Insanas pepulere feras, industria major,
Majus opus, totum præstantius imbuit orbem.
Nam quocunque gradum convertit callidus hostis,
Quaque per ambages anceps iter egit opertas,
Hujus ab occursu est præventus, mille viarum
Insidiis aditum non repperientibus ullum.
Cumque foris rabies avidorum exclusa luporum
Frenderet, inque omnes mendacia verteret artes,
Ne mentes ullarum ovium corrumpere posset,
Neu dubia obliquis turbaret corda querelis,
Istius ore viri fecit Deus: istius ore
Flumina librorum mundum effluxere per omnem,
Quæ mites humilesque bibunt, campisque animorum
Certant vitalis doctrinæ immittere rivos.
Jamque procellosæ disjecto turbine noctis,
Heu nova bella, novi partus oriuntur in ipso
Securæ matris gremio: quæ crescere natis
Visa sibi, discors horret consurgere germen
Degeneres pavitans inimico ex semine fetus:
In quibus ante diu specie fallente benignus
Erarat genitricis amor, cum obducta decoris
Moribus externæ stirpis tegeretur origo.
Sic veris subeunt falsa, et discrimine cœco
Fronte placent quæ fine latent: sic laudis amore
Virtutum studium corrumpitur, atque ab honesto
Principio in vitium exitur plerumque tumoris:
Quo quidam inflantur nunc turpiter, atque perempti

Dogmatis exstinctas tentant animare favillas,
Dum libertatem arbitrii affectumque volendi
In naturalis motus virtute locantes,
Tam bona quemque docent sectari posse suopte
Ingenio, quam posse subest cuique in mala ferri.
Quod qui confirmas, quinam distabis ab illis,
Qui dicunt nullo peccati vulnere læsum
Naturale bonum, cumque illo numine nasci
Nunc omnes homines, quod primis ingeneratum est?
An vero excerpis quædam, quæ parte recisa
Suscipias, cordisque sinu purgata recondas?
Dic igitur quidnam inde probes, quid vero refutes;
Et de damnatis quid sit quod crimine solvas.
An dextram pacis palam dare te pudet hosti?
Nec tutum est ulla pulsos ex parte tueri
Simpliciter? Quos non dubitas excludere templo
Pelle animo. Nova te discordia dividit abs te;
Corde foves quod in ore premis: conjungere amicis
Mentibus, et tecum cupidis componere fœdus
Lege tua; jam parce minis, et congrue pactis.
Ecce pererratis terrarum finibus adsunt,
Implentesque tuas lacrymosis questubus aures
Incipiunt: Pulsi mundo, nullaque recepti
Sede vagi, tandem fama exhortante redimus,
Quæque placent vobis amplectimur: edita nobis
Doctrinæ vestræ est pietas: nihil inficiando
Discutimus: liceat vobiscum jungere sensum.
Immortalem hominem factum si creditis, et nos
Credimus, inciderit mortem peccando, suamque
Progeniem culpa et letho devinxerit omnem:

Nullus non egeat sacro baptismate Christi :
Infantesque etiam purgentur fonte lavacri :
Dum nostri decus arbitrii, lumenque creatum
Principio, quod sponte potest insistere rectis
Manserit illæsum ; nec viribus absit ab illis,
Quas condente Deo generaliter omnis in Adam
Suscepit natura hominis, nec suppetat ulli
De non accepta arbritrii virtute querela,
Cum sine delectu seu Lex, seu Gratia Christi
Omnem hominem salvare velit : donumque vocantis
Sic sit propositum, ut nullus non possit ad illud
Libertate sua, proprioque vigore venire.
Sitque salus dignis salvari ex fonte volendi.
Hæc si vestra fides, vestra est doctrina, remotis
Quæ vestro exemplo rejecimus, addite sanctis
Nos gregibus, tandemque boni deffendite vestros.
Talia submissus si defleat hostis apud te,
Quid referes? quo te affectu comperta movebunt ?
Consultas, trepidas, nutas, cunctaris et hæres,
Quove anceps se præcipitet sententia volvis.
Injustum est animis cognatis non dare pacem,
Et quos una fides, eadem sapientia nectit,
His communem aditum sanctorum ad sancta negare.
Jungere sed fœdus cum talibus, et violare
Sanctorum decreta Patrum, Regumque piorum
Scriptas lege Dei leges contemnere, multum
Hostile est, nimiumque audax et perniciosum.
Ergo Petri solium Romam, et Carthaginis altæ
Concilium repetant humiles, eademque perorent
Quæ frustra hic trepido sunt deplorata favori.

Sed cum mille Senum prudentia pervigil olim,
Perspectum notumque tenens, quod tota nefandæ
Hæreseos summa exigua sub parte tegatur,
De qua plena mali labes renovetur, et omne
Commenti corpus per singula membra resurgat:
Antiquas adhibentem artes rejecerit hostem,
Limitibusque suis steterit censura salubris:
Nunquid non justus poterit dolor abdita cordis
Rumpere, et in tales miseros excire querelas
Ut dicant: Quænam ista, Patres, in cordibus almis
Justitia est? quo fine graves, quo fine severi
Claudere terrarum nobis persistitis orbem?
Nosne sumus toto mundo, quorum undique vobis
Sit suspecta fides? quos non tolerare queatis,
Si nostra a vestro vel syllaba dissonet ore?
Non verbis jam nos argumentisve tuemur:
Judicium exemplo petimus. Quod pace manente
Libera multorum vox astruit, hoc sine bello
Cedatur nobis. Non nostra inventa fovemus,
Nec primis studiis insistimus: Ecce recisum est
Unde olim certamen erat, vestrisque reversi
Cedimus, et quæcunque illis placuere, probamus.
Quid superest culpæ, quo nos decet usque repelli?
Si vero hæc etiam quæ nos pia ducimus, absunt
A veris, et vestra illis bene cura repugnat:
Cur extra invidiam, pœnamque erroris habentur
Qui damnata docent, et per clara oppida tuti
His magnos implent populos, quæ nos perhibentes
Plectimur, et nulla sinimur consistere terra?
    Hæc in Pontificum sancto deprompta senatu

Quam curam exigerent, et quæ decreta moverent
Perspicis? An qnoniam culpa securus operta
Non premeris Synodo, nec te pœnæ metus urget,
Spernis propositi speciem terroris, et isthæc
Plena velut vanis simulacris somnia rides?
Ergo gerendorum eventu et fine remoto,
Hæc tantum in medium quæ jam sunt gesta vocemus,
Ut facile ex illis quale hoc sic discutiatur,
Quod disceptantes dudum in diversa vocamur.

DIVI

PROSPERI

CARMEN

DE INGRATIS.

LIBER SECUNDUS.

INTER multa suis quæ tradidit Hæresiarches,
Quod cognoscis, ait, naturam quæ bona facta est,
Nullis cum vitiis in quoquam omnino creari,
Nec cuiquam primi culpam nocuisse parentis,
Et quoniam tales nascantur nunc quoque, qualis
Ille fuit nostri generis pater ante reatum,
Posse hominem sine peccato decurrere vitam,
Si velit, ut potuit nullo delinquere primus
Libertate sua. Nempe hæc damnata fateris
Conciliis, mundique manu. Connectit et illud
Idem auctor, quod lex ita sanctos miserit olim
Cœlorum in regnum, sicut nunc Gratia mittit.
Hoc quoque judicio sancto scis esse peremptum.
Objectum est aliud, ipsum dixisse Magistrum
Quod meritis hominum tribuatur Gratia Christi,
Quantum quisque Dei donis se fecerit aptum.
Sed nimis adversum hoc fidei, nimiumque repugnans

Esse videns, dixit se non ita credere, et illos
Damnari dignos quorum mens ista teneret.
Quo cernis cum judicibus damnantibus ista
Consensisse reum, nec quemquam hæc posse tueri:
Quæ tamen ipse suis rursum excoluisse libellis
Detegitur, reprobum in sensum fallendo reversus.
Nunc igitur quoniam quid nostris displicuisset
Ostensum est, quam sana fides sit vestra patescat.
Gratia qua Christi populus sumus, hoc cohibetur
Limite vobiscum, et formam hanc ascribitis illi,
Ut cunctos vocet illa quidem invitetque: nec ullum
Præteriens studeat communem afferre salutem
Omnibus, et totum peccato absolvere mundum.
Sed proprio quemque arbitrio parere vocanti,
Judicioque suo mota se extendere mente
Ad lucem oblatam, quæ se non subtrahat ulli,
Sed cupidos recti juvet, illustretque volentes.
Hinc adjutoris Domini bonitate magistra
Crescere virtutum studia, ut quod quisque petendum
Mandatis didicit, jugi sectetur amore.
Esse autem edoctis istam communiter æquam
Libertatem animis, ut cursum explere beatum
Persistendo queant: finem, effectumque petitum
Dante Deo, ingeniis qui nunquam desit honestis.
Sed quia non idem est cunctis vigor, et variarum
Illecebris rerum trahitur dispersa voluntas:
Sponte aliquos vitiis succumbere qui potuissent
A lapsu revocare pedem, stabilesque manere.
Jam quia summatim, ut potuit, sententia vestra
Decursa est: Dic unde probes quod Gratia Christi

Nullum omnino hominem de cunctis qui generantur
Prætereat, cui non regnum, vitamque beatam
Impertire velit? Nec enim vel tempore nostro
Omnibus in terris jam certum est insinuatum
Christi Evangelium: ne dicam exordia doni
Non potuisse simul toto decurrere mundo.
Illa quidem ad cunctos ferri sunt jussa, sed uno
Tempore non agitur, quod tempore dicitur uno:
Dumque suis aditus Domino pandente ministris
Crescunt primitiæ, fuerint omnino necesse est
Quædam terrarum partes, ubi Gratia nondum
Corda hominum tenebris absolverat impietatis,
Et dira innumeri demersi nocte peribant,
Cum multæ accepto fulgerent lumine mentes.
An bonitas divina quidem non destitit omnes
Velle vocare homines, sed non simul apta fuerunt
Corda quibus possent conferri dona salutis,
Dum morum obsistit feritas truculenta magistris,
Difficilesque aditu transcurrit Gratia gentes:
Ut quoniam lucem offerri voluisset, et ipsis
Demonstrare Deus, sua quemque adversa voluntas
Arguat, et culpa obstringat, quia lumine primo
Per vitia oppresso, sit facta indigna secundo?
Quod si firmatur, ne quidquam plectimus illos
Qui nullum innatum vitium nascentibus aiunt,
Incolumique omnes cum libertate creari:
Gratia quos Christi meritorum examine justo
Eligat, et dignos vita vocet, accipiatque.
Namque utrumque simul sapitis qui dicitis: Omnes
Omnibus oblatum potuisse apprendere munus:

Naturæ quoniam non sit detracta facultas,
Nec sine justitia pereant, qui mentis honorem
Sordibus obruerint vitiorum, ut lumen ab alto
Emissum, indigna nollet requiescere sede.
Sic quod nascendo est unum, distare volendo,
Ut meritum ad paucos, natura spectet ad omnes.
Sed tamen hæc aliqua si vis ratione tueri,
Et credi tam stulta cupis: Jam pande quid hoc sit,
Quod bonus omnipotensque Deus non omnia subdit
Corda sibi, pariterque omnes jubet esse fideles?
Nam si nemo usquam est quem non velit esse redemptum,
Haud dubie impletur quidquid vult summa potestas.
Non omnes autem salvantur, magnaque pars est
Quæ sedet in tenebris mortis, nec vivificatur.
An varii motus animorum talia gignunt,
Libertasque facit causam non omnibus unam?
Ergo hominis valida arbitrio divina voluntas
Aut etiam invalida est, operis cui finis in illo est:
Quem frustra juvisse velit, nisi præferat ille
Affectum, cujus comitetur Gratia cursum.
At si dimota certandi nube, serenis
Quæ sunt vera oculis mecum intueare modeste:
Et vetera exemplis manifestis plena videbis
Secula, et in nostro cognosces tempore multa,
Quæ doceant, virtute Dei conversa malorum
Corda, quibus recti nihil unquam insederat, et quæ
Nullum justitiæ signum sensumve gerebant.
Namque ut nunc sævas gentes et barbara regna,
Ignoti prius aut spreti nova Gratia Christi

Attrahit, et terra templum sibi condit in omni:
Sic prius immites populos, urbesque rebelles
Vincente obstantes animos pietate subegit.
Non hoc consilio tantum hortatuque benigno
Suadens atque docens, quasi normam Legis haberet
Gratia: Sed mutans intus mentem atque reformans,
Vasque novum ex fracto fingens virtute creandi.
Non istud monitus Legis, non verba Prophetæ,
Non præstata sibi præstat Natura: Sed unus
Quod fecit, reficit, percurrat Apostolus orbem,
Prædicet, hortetur, plantet, riget, increpet, instet.
Quaque viam verbo reseratam invenerit, intret:
Ut tamen his studiis auditor promoveatur,
Non doctor, neque discipulus, sed Gratia sola
Efficit, inque graves adolet plantaria fructus.
  Hæc semen fidei radicem affigere menti
Eque sinu cordis validum jubet edere germen.
Hæc maturandam segetem servatque fovetque,
Ne lolium et tribuli, et vanæ dominentur avenæ:
Ne ventus frangat, torrens trahat, aestus adurat:
Neu cum se nimium læta et præfortis in altum
Extulerit, turpi procumbat strata ruina.
  Et nos ista (inquis) sentimus de bonitate
Ac virtute Dei: quæ ni foveatque regatque
Quos vocat, et tutos peccato præstet ab omni,
Non sua servabit quemquam prudentia, nec se
Perficiet solis naturæ viribus ullus.
Sed quia jam in nobis et velle et nolle creatum est,
Arbitriique sui quo vult intendere motus
Libertas accita potest, patuitque per aurem

Judicio cordis, quo mundum proposuisset
Consilio servare Deus : mens excita longum
Excutiat somnum, seque illi subdat et aptet,
Qui cupidam et fidam promissa in gaudia ducat.
Hoc est nobiscum quod te sentire ferebas?
Hæc sincera fides? hæc Christi Gratia tecum est?
Cujus opus fixo distinctum limite totum
Extra hominem statuis clausa penitus fore mentis,
Vixque Deum sensus carnis permittis adire,
Per quos sumpta foris animus dijudicet intus,
Seque ferat quoquo librata examina pondus
Presserit arbitrii : Veluti cum voce loquentis,
Aut rerum actarum specie quas vidimus, aut quas
Legimus, exoritur secreta cordis in aula
Nunc amor, aut odium; nunc spes, metus; ira, dolorque:
Nec tamen hos motus scriptor, narrator, et actor
Insevere animo, (quamvis forte hoc quoque vellent)
Sed de perceptis mens judex sponte movetur,
Et pro more suo quantum se exercuit istis
Transit in affectum quem confirmaverit ex se,
Illa volendo sequens, istis nolendo resistens.
At vero omnipotens hominem cum Gratia salvat,
Ipsa suum consummat opus, cui tempus agendi
Semper adest quæ gesta velit : non moribus illi
Fit mora, nec causis anceps suspenditur ullis.
Nec quod sola potest, cura, officioque ministri
Exsequitur, famulisve vicem committit agendi :
Qui quamvis multa admoveant mandata vocantis,
Pulsant, non intrant animas. Deus ergo sepultos

Suscitat, et solvit peccati compede vinctos.
Ille obscuratis dat cordibus intellectum,
Ille ex injustis justos facit, indit amorem
Quo redametur amans, et amor quem conserit ipse est.
Hunc itaque affectum quo sumunt mortua vitam,
Quo tenebræ fiunt lumen, quo immunda nitescunt,
Quo stulti sapere incipiunt, ægrique valescunt,
Nemo alii dat, nemo sibi; non littera Legis,
Nec naturalis sapientia, quæ semel acta
In præceps, labi novit, consurgere nescit.
Et licet eximias studeat pollere per artes,
Ingeniumque bonum generosis moribus ornet,
Cœca tamen finem ad mortis per devia currit,
Nec vitæ æternæ veros acquirere fructus
De falsa virtute potest, vanamque decoris
Occidui speciem mortali perdit in ævo.
Omne etenim probitatis opus nisi semine veræ
Exoritur fidei, peccatum est, inque reatum
Vertitur, et sterilis cumulat sibi gloria pœnam.
Usque adeo donum est quod credimus, et data grati
Gratia, non merita ditat mercede vocatos:
Nec justorum operum discernit facta, sed omnes
Sola ex immundis mundos facit: utque legentem
Lectus amet, non hoc studio, sed munere sumit.
Nam si spectatrix meritorum est Gratia, et illis
Se tribuit quorum est animus purgatior, et quos
Per libertatem arbitrii sibi repperit aptos:
Insontes tantum justosque assumere solos
Debuit, et veri cupidos ac recta volentes:
Perversos autem et scelerum assuetudine turpes

)eturbare procul, lucemque negare tenebris.
Atqui Salvator mundi non præmia justis
Solvere, nec sanis venit conferre medelam :
Sed quod dispersum exciderat, fractum atque jacebat,
Quærere, et inventum reparare et reddere curæ.
Denique ne quisquam ex morum splendore putetur
Censeri, aut fidei merito ad bona summa vocari,
Seu non divino sit munere mentibus ipsa
nspirata fides : recole innumerabile vulgus
Retro senum et juvenum, qui cœca turpiter usi
Libertate animi, per cultus dæmoniorum,
Per magicas artes, per amorem rapta tenendi,
Per stupra, per cædes vitam duxere nefandam.
Et tamen incumbente obitu, jam limite in ipso
Extremi flatus, miserantem nocte remota
Cognovere Deum, purgatorisque lavacri
Munere, nulla mali linquentis signa prioris,
Exempti mundo, mutarunt tartara cœlo.
Quæ merita hic numeras? Si præcedentia cernas,
mpia; si quæris post addita, nulla fuerunt.
Si vero merito ascribis voluisse renasci,
Nempe utero fidei parta est tam recta voluntas.
Porro fidem quis dat nisi Gratia? sic bene velle
Gratia dat, tribuendo fidem quæ credita poscat,
Quæque voluntatis meritum creet, ipsaque solo
Nascatur spirante Deo, mentemque reformans
De cinere algenti sopitum suscitet ignem.
Ergo voluntatis genitrix, operumque creatrix
Non est ex merito : quoniam quod non fit ab illa
Non bene fit : quem non recto via limite ducit,

Quanto plus graditur, tanto longinquius errat.
Sive igitur meritum credens existere posse
Ante fidem, donas virtutibus impietatis:
Sive illam vis esse tuam, non munere dantis
Sumptam, sed genitam de libertate volendi,
Nullam habet in vobis salvatrix Gratia sedem
Inflato exclusa arbitrio, quod fronte superba
Erigitis, spatio ut gravius majore ruatis.
Divinorum operum quod ponitis in redimendis
Principium? Mandata Dei facere ante lavacrum,
Nosse et amare Deum, promissis credere Christi,
Quærere, pulsare et petere proprium omnibus esse
Asseritis, qui se studeant aptare vocanti.
Anne ab aquis divina manus renovare receptos
Incipit, et vitæ causa est sua cuique voluntas;
Ut merces operum sit Gratia, judiciumque
De pretio, quo quod donum perhibetur, ematur?
An vero auxilium verbo Deus inchoat, et se
Voce ministrorum mundo declarat in omni,
Ut pulsante aures sermone illecta voluntas
Judicio præcurrat opem, nec Gratia jam sit
Gratia, quæ Legis fungens vice, jure monentis
Solum agat, atque agro cum plantatore ministret,
Terraque seminibus det, non Deus, incrementum:
Ubere seu gleba subsistat, atque arte colentis
Exortura seges, neque quidquam cordis in arvo
Præsulcet divina manus, quo temperet æquor
Edomitum, faciatque satis gaudere novales.
Talibus assumptis inimico ex dogmate, nonne
Perspicuum est quantum damnatos confoveatis?

Dum cuique ad veræ capienda exordia vitæ
Naturam affectum fidei conferre docetis :
Dumque aliud non est vobiscum Gratia, quam Lex,
Quamque Propheta monens, et quam doctrina ministri.
Scilicet ut tale arbitrium generaliter insit
Semine damnato genitis in corpore mortis,
Quale habuit nondum peccati lege subactus
Primus homo : et nullum in prolem de vulnere vulnus
Transierit, nisi corpoream per conditionem,
Quæ sic exterius respondeat, ut nihil intus
Imminuat, teneatque suum substantia mentis
Splendorem, et nulla pœnali nocte prematur.
Addite quod superest tumidi, ruituraque vani
Congerite, et causis causas aptate sequentes.
Et quia nil primæ periit virtutis apud vos;
Dicite ab illæsis animis procedere veram
Justitiam, regno dignam, cœloque locandam,
Ut frustra Christus sit mortuus. Edite multos
Arte et sponte sua Sanctos ab origine mundi
Absque Deo placuisse Deo : decretaque Legis
Tunc data, cum pejor mos et corruptior ætas
Terrore instanti et formidine mortis egeret.
Dicite plectentes apices mortisque ministros
Hoc explesse operis quod Gratia vivificatrix.
Nunc agite, et quoniam fuerit sine Lege voluntas
Libera, quam scripti munibat pagina cordis :
Sic vitam æternam acquiri potuisse, vacante
Hac ope quæ Legem surpereminet, ut sine Lege
Ex naturali potuit virtute capessi.
Nunc autem studiis vergentibus in mala multa.

Crevisse auxilium : non quo cessante, salutem
Non caperet per difficiles natura labores,
Sed quo conatus operum affectusque juvante
Propositam citius ferret mens libera palmam.
Dicite, cum infantes renovantur, non renovari
Insontes animas, et sola carne renasci
Exterius lotos, non existentibus illis
Interius maculis: quoniam licet edere rectæ
Signa voluntatis nequeant, tamen hoc magis omni
Sorde vacent, super auctoris quod conditionem
De proprio nihil addiderint quod fons aboleret.
Hæc si non vestris spirant de cordibus, et vos
Non cum damnatis eadem ratis extulit alto
Mergendos pelago, submittite vela tumoris,
Nobiscumque humiles placido consistite portu.
Edite constanter naturæ vulnera victæ,
Exutam virtute animam, cœcataque cordis
Lumina, et in pœnam propriam jaculis superantis
Armatum arbitrium nunquam consurgere posse,
Inque novos lapsus semper nitendo revolvi ?
Cui sua sit laqueus sapientia, morsque subactum
Detineat, nisi vera salus ex munere Christi
Adsit, et oppressam dignetur Gratia mentem.
An vestrum sublimem animum pudet ista fateri,
Ne sub tam multis morbis sit vilior æger ?
Cum nihil ex omni majorum dote supersit
Quo medici mereatur opem, et mercede valescat.
Ergo in castra gradum revocate hostilia, et illis
Addite vos, quorum ingenio et fallacibus armis
Luditis, ejusdem vibrantes spicula linguæ.

Exsultate bonis naturæ, et mentis honorem
Omnibus a seclis illæsum stare docete.
Neu vos in totum retegatis dogmate nudo,
Corporeo tantum decurrere tramite pœnam
Peccati perhibete, animis nihil imminuentem.
Vulnere transfixos absolvite crimine, et ipsam
Justitiam accusate Dei, transire sinentis
Supplicium, quo non vultis transire reatum.
  Sed non injustus Deus est, manifestaque Pauli
Vox docet, uno omnes homines cecidisse ruente.
In quo tota simul series prostrata nepotum
Deperiit, nec habet quisquam quo surgere possit
Ad vitam, sacro nisi rursum nascitur ortu.
Quotquot enim summo justos numeratis ab ævo,
Hac ope non dubium est salvatos, quam modo toto
Latius omnipotens exercet Gratia mundo.
  Hæc, sicut dictum est, non judex est meritorum,
Quæ nisi plena malis non invenit: et nisi donet
Quæ bona sunt, nihil efficiet bene cœca voluntas.
Hæc ut cujusquam studio affectuque petatur,
Ipsa agit, et cunctis dux est venientibus ad se,
Perque ipsam nisi curratur, non itur ad ipsam.
Ergo ad iter per iter ferimur: Sine lumine lumen
Nemo videt: vitam sine vita inquirere mors est.

DIVI

PROSPERI

CARMEN

DE INGRATIS.

LIBER TERTIUS.

Hic vanam insano profertis corde querelam,
Omne opus arbitrii sublatum vociferantes,
Currere currentum si non et velle volentum est.
Nec vitiis pœnam deberi, aut præmia laudi,
Si vel naturam obstrictam mala velle neccesse est,
Vel nostro ascribi nequeunt bene gesta labori.
Nunquid non eadem sapiunt, eademque perorant
Vestri illi quorum ructatis verba magistri?
Sed quia consimili cognata superbia questu
Prosilit, et vobis nunc respondetur et ipsis.
Inviolata Dei quondam et sublimis imago
In primo cuncti fuimus patre, dum nemore almo
Degit, et edicto parens cavet arbore ab una.
At postquam rupta mandati lege, superbum
Consilium mixtum invidiæ de fonte recepit,
Corruit, et cuncti simul in genitore cadente
Corruimus: transcurrit enim virosa per omnes

Peccati ebrietas, corrupti et cordis in alvo
Persistit, cruda fervet carbunculus esca.
Hinc animi vigor obtusus, caligine tetra
Induitur, nec fert divinæ fulgura lucis
Lumen iners : hinc arbitrium per devia lapsum
Claudicat, et cœcis conatibus inque ligatis
Motus inest, non error abest. Manet ergo voluntas
Semper amans aliquid quo se ferat, et labyrintho
Fallitur, ambages dubiarum ingressa viarum.
Vana cupit, vanis tumet et timet, omnimodaque
Mobilitate ruens in vulnera vulnere surgit.
Hoc itaque arbitrium cum sanat Gratia, tolli
Dicitis, et perimi vita aspirante putatis.
Quid mirum rabido si corde phreneticus æger
Morbum amat, et pellit medicum ? Cognoscite tandem
Antiqui commenta doli, et desuescite captas
Aures vipereo rursum præbere susurro.
Parcite de fractis, præcerpere noxia poma
Arbitrii ramis : non hæc vos esca reformat,
Nec speciem Angelici nutrit cibus ille decoris :
Sed vetitorum avidos et tetra bile tumentes
De fastiditæ procul abripit arbore vitæ :
Hujus ope et fructu vescendum est, ut revalescens
Languida mens, etiam propriis bene viribus uti
Possit, et in Christo inveniat quod perdidit in se.
Non igitur quisquis terreni veste parentis
Exueris, priscum naturæ perdis honorem,
Sed recipis : Sic acquirens quibus ante carebas,
Ut tua sint si collatis utare modeste,
Et quod habes, hoc te acceptum fatearis habere.

Fons igitur meriti est lucis Pater; inde quod in nos
Fluxerit; hoc nobis majorum est causa bonorum,
Dum largitori sua reddimus, eque relatis
Augemur, nostrumque bonum fit gloria dantis.
Sed qui judicium arbitrii meritumque tueris,
Quique hominum studiis ascribis dona vocantis:
Infantum discerne animos, et dissere quales
Affectus, qualesque habeant hæc pectora motus.
Da teneris mores, et libertate volendi
Instrue, vix auræ tenuis lactisque capaces.
Nulla tibi arbitrii respondent signa, nec ullis
Dissociare pares meritis potes: omnibus una est
Natura, et pariter nequeunt bona vel mala velle.
Et tamen ex istis miseratrix Gratia quosdam
Eligit, et rursum genitos baptismate transfert
In regnum æternum, multis in morte relictis,
Quorum causa fuit similis de vulnere eodem.
Nec meritis istud poteris aptare parentum,
Ceu pia profuerit redimendis cura bonorum,
Abstuleritque aliis aliena ignavia vitam:
Cum videas multos sanctis genitoribus ortos
Nullo salvari studio potuisse suorum:
Expositisque aliis ob turpia crimina matrum,
Missam externorum curam, quæ stercore raptos
Per fontem vitæ cœlesti traderet aulæ.
Quid si diversum hunc finem quo Gratia Christi
Unum alio pereunte legit, donatque salute
In geminis etiam videas? quod dividis uno
Tempore conceptos atque uno tempore natos,
Non ullos potes arbitrii prætendere motus.

Cessat opus, cessat meritum, nihil editur impar.
Sed Deus et tales discernit, quo mage Christi
Excellat bonitas, quæ sola est causa vocatis
Et fidei et meriti : quoniam sapientia dives
Hoc etiam tribuit multis, ut sancta operatis
In finem vitæ, fieret de munere merces.
Non autem recte nec vere dicitur, illos
Qui sunt exsortes divini muneris, et quos
Gratia neglexit degentes mortis in umbra,
Peccati non esse reos, quia recta gerendi
Non data sit virtus. Naturæ compede vinctos
Procubuisse negant, nec ab uno germine credunt
Omnigenam prolem cum pœna et crimine nasci.
Quod qui non renuit, videt hujus pondera culpæ
Tam valida pariter miseris incumbere mole,
Ut si nulla etiam cumulent mala, sit tamen unum hoc
Sufficiens scelus ad mortem nascendo luendam.
Hanc igitur legem quam per se nemo resolvit,
Si merito et juste positam impositamque fatemur
Cur querimur, quod non omnes salvantur ab illa?
Cum si progeniem super omnem irrupta maneret,
De cunctis juste damnatis non quereremur.
An quod de toto ferretur, non toleratur
De parte? Et melius foret omnia debita cogi,
Quam summa ex solida clementer multa remitti?
Quis vero exemptus squallenti carcere pulset
Invidia miserantis opem, quia non simul omnes
In lucem veram tenebris eduxerit iisdem?
Cum pœnam, qua mersus erat, non experiatur
Quam misere ferat addictus, nisi liber ab illa.

Denique tunc illum socialem mente benigna
Concipit affectum, quo submissa prece Christum
Conciliet miseris, sueta qui nocte gravati
Nulla gerunt vota effugii : tantum nocet error,
Ut juvet errare, et veteris contagia morbi
Tam blande obrepunt, ut quo languetur ametur.
Unde ergo hæc oritur querimonia? Non movet illos
Talis cura, quibus necdum est sua pœna dolori,
Et qui se nulla credunt a luce relictos.
Qui vero tenebris exempti in lumine vivunt
Gaudent, et quantum sibi sit bonitate vocantis
Dimissum, ex illis discunt qui debita solvunt.
Vos igitur soli queruli, solique superbi :
Vos soli ingrati quos urit Gratia : cujus
Omne opus arbitrio vultis subsistere vestro :
Et quod non cuncti mortales atria vitæ
Ingrediuntur, ita ex ipsis pendere putatis,
Ut tam ex judicio constet cujusque quod intrat,
Quam quod non intrat : seu par in utrumque facultas
Suppetat, et tam sit proprium bona quam mala velle.
I procul, insana impietas, artesque malignas
Aufer, et auctorem comitare exclusa Britannum.
Nos humiles tenuesque sumus grex parvus, et altis
Inniti metuens, quia sufficientia nostra
Ex Christo est : Si quid recte sapimus, volumusque,
Illi debemus, qui vincula nostra resolvit,
Proque malis bona restituit, non inveniendo
Quod merito legeret, sed donans quo legeretur
Ut de perceptis prodiret causa merendi ;
Deque datis in danda gradus industria crescens

Scanderet, atque bonum fieret Deus omnibus unum.
    Cur vero humani generis de germine toto
Pars quædam in Christo rursum generanda legatur,
Pars pereat, cum causa eadem simul implicet omnes,
Nec discernantur merito qui munere distant:
Non satis audemus scrutari, nec per opertas
Ire vias, callesque gradu pulsare remotos.
Multa etenim bene tecta latent, nescitaque prosunt:
Dum mansueta fides quædam dilata modeste
Sustinet, et nullo ignorat non edita damno.
Sic quando electum ex cunctis populum Deus unum
Lege, sacris, templo, unguento, signisque fovebat,
    Quod fuit occultum, mundique in fine retectum est,
Non oberat nescire, omnes quandoque vocandas
In regnum æternum gentes, totumque per orbem
Donandum, quod spes parvæ tunc plebis habebat
    Sic postrema dies qua mundi clauditur ætas,
Notitiæ nostræ non est data, nec tamen hujus
Secreti impatiens sanctorum turba laborat.
    Ipsa quoque humani generis carnalis origo,
Quam multas vario circumtegit ordine causas?
Cumque omnes de fermento producat eodem
Una manus, nec diversis elementa parentum
Principiis coeant: limo procedit ab uno
Dispar opus, mutat numeros per vascula fictor,
Materiamque unam discernit jure creantis.
Ergo eadem natura animæ, naturaque carnis
Diversis mundum sub conditionibus intrat.
His regnare datum est; illos servire necesse est;
Hos decor, et vires validæ, viridisque senectus

Suscipit, hos species inhonora et debile corpus :
His viget ingenium præclaris artibus aptum,
Horum tarda premit gelidus præcordia sanguis :
Quosdam nec licitus calor incitat ad generandum,
Ast alii insanum nequeunt frænare furorem :
Hunc mitem et placidum tranquilla modestia comit.
His et mille modis semen variantibus unum,
Impariles subeunt distincta exordia formas.
Nec tamen hæc inter tam compugnantia quisquam
Arguit auctorem, qui secum continet hujus
Legem operis dum judicio placita explicat æquo,
Et rerum causas obscurat justa potestas.
Si terrenum igitur figmentum, addictaque morti
Progenies, ita dissimili producitur ortu,
Ut cum operis species pateat, tamen edita non sit
Norma voluntatis de qua venit hic modus impar :
Quid mirum si consilii super omnia magni
Arcanum latet, et placito subducitur alto ?
Quod dum vana fluunt mundi, dum in corpore mortis
Vivitur, et positi expletur certamen agonis,
Non cognoscendum texit Deus, utiliusque
Duxit, ad examen quædam velare piorum.
Non ergo instamus clausis, nec operta procaci
Urgemus cura, satis est opera Omnipotentis
Cernere, et auctorem cunctorum nosse bonorum ;
Quo sine nil rectum mens inchoat. Audeat amens
Impietas tumido arbitrio subnectere causas
Divinorum operum. Nos cum manifesta videmus
Dona Dei, quorum est fons unus, summa voluntas,
Cum Paulo tremuisse juvat, stupidumque modeste

Invictum ad solium Christi suspendere nutum :
Cujus judicium sic inscrutabile et altum
Dicimus, ut verax prorsus fateamur et æquum.
Nam meritum ad mortem subeundam sufficit unum ;
Ad vitam, nisi quod donarit Gratia, nullum.
  Tu vero, o nova gens, veteris quæ stirpe oleastri
Velleris, et sacræ ramis inolescis olivæ,
Quærere formatæ sentis te frondis honorem
Non studio cœpisse tuo, sed jure potentis
Agricolæ insertam fecundo vivere ligno :
Vince superborum flatus, et vana furentum
Turbinibus stabili fortis pietate resiste :
Nec tibi fallacis subrepat imago decoris.
Nullum ex his errare putes ? licet in cruce vitam
Ducant, et jugi afficiant sua corpora morte,
Abstineant opibus, sint casti, sintque benigni,
Terrenisque ferant animum super astra relictis :
Si tamen hæc propria virtute capessere quemquam
Posse putant, sitve ut dignus labor iste juvari,
Ingenium meruisse aiunt bona vera petentis :
Crescere quo cupiunt, minuuntur; proficiendo
Deficiunt; surgendo cadunt; currendo recedunt.
Unde etenim vani frustra splendescere quærunt,
Inde obscurantur : quoniam sua, laudis amore,
Non quæ sunt Christi quærunt, nec fit Deus illis
Principium : et capiti non dant in corpore regnum.
Non horum templo est Christus petra, fundamentum,
Sed super instabilem arbitrii nutantis arenam
Assurgunt, fœda lapsuri mole tumoris.
  Isti quem quidam reprobarunt ædificantes,

Nunc etiam reprobant lapidem, pariesque sine ipso
Tertius esse volunt, quem nullo fœdere nectat,
Angulus, et quem nulla habeat compago ligatum.
Hi thalamum ad sponsi non perducuntur, et intrant
Libertate sua: quæ Christi Gratia confert
Non acceperunt, et habent: non attrahit illos
Vis Patris ad Verbum, sed sponte et præpete cursu
Præveniunt cessantis opem, nec ad omne gerendum
Ejus egent, sine quo sibi plurima posse videntur.

DIVI

PROSPERI

CARMEN

DE INGRATIS.

LIBER QUARTUS.

Quid prodest verbis commentum Pelagianum
Respuere, et sola damnatos plectere voce,
Cum paucis squalida sublatis de cute nervis,
Intima viperei foveantur viscera sensus?
O bene quod diri erroris malus ille magister
Nullo prælevit lethalia pocula melle:
Sed non ambigua infectum feritate venenum
Protulit, et gustu virus detexit amaro!
Nam si argumenti primordia non onerasset
His quæ discipuli dempserunt callidiores,
Innumeras dubio cepisset plasmate mentes:
Quæ dum multa vident informia limine in ipso,
Horrida terrificæ declinant atria mortis.
Nec jam illis possunt attriti illudere fures,
Quorum quo tendant artes, atque unde oriantur,
Non dubiis promptum est cuivis cognoscere signis.
  Non igitur cum damnatis sentire videntur,

Cum dicunt mortem in cunctos transisse per unum
Primum hominem, cujus crimen resperserit omnes :
Nec quemquam in vitam æternam, nisi fonte renatum
Venturum : infantesque reos hoc munere solvi,
Quos prima ad mortem generaliter edat origo.
Sed cum damnatis sapiunt, damnataque promunt,
Cum dicunt nihil esse animis per vulnus avitum
Detractum decoris, splendoremque omnibus illum
Nunc talem innasci, qualis fuit ante ruinam.
Hinc libertatem arbitrii discernere sano
Posse oculo cordis quidquid sit rite gerendum
Nec solum ad vitæ præsentis commoda solers
Sufficere ingenium quo se tueatur et ornet :
Sed summis etiam mentem aptam percipiendis
Æternisque bonis, sponte ad cœlestia ferri,
Perque viam ad Christum quam fecerit ipsa venire.
  Hinc hominem multa recti assuetudine firmum
Posse repugnare adversis; nec cedere pœnis
Quas superandæ animæ per carnem admoverit hostis
Auxilio abscedente Dei : qui deserat apte
Utiliterque suos, ut de certamine agonis
Quæsitas referant palmas : ne nulla piorum
Sint merita, et veræ priventur laudis honore :
Si quod naturæ sensu noluntque, voluntque,
Præceptisque tenent legalibus insinuatum,
Divini auxilii manus hoc operetur in illis :
Ceu solis Christi famulis virtute carere
Sit dignum, et non posse probos apprehendere mores
Quos plerumque habeant etiam simulacra colentes.
  Talia lingua procax verbis cum fundit ineptis,

Effuge tu nova gens, hostiles effuge sensus,
Et procul a laqueis sapiens abjungere mortis.
Christus enim tua justitia est, quo te duce oportet
Currere, ne cursus Christo sine, sit vagus error.
Nemo etenim, nemo est, qui non cum vulnere primi
Sit patris genitus: quo vulnere mens prius intus
Percussa est, quam membra foris: cum mente receptum est
Quod regione poli disjecta superbia suasit.
Sic animus cui lumen erat de lumine summo,
Arbitrium involvit tenebris, et luce relicta
Consilio legit tetræ nigrescere noctis.
Nec jam captivos oculos extollere in altum
Sponte potest: quoniam hoc etiam spoliante tyranno
Perdidit, ut quanto jaceat sub vulnere norit.
Si quid enim de principiis felicibus illi
Et vita exsilii superest prudenter agenda,
Hoc sanum, et quo nil fuerit sublimius in se
Credit, amatque suum mundi sapientia sensum,
Innumeras claram sese mirata per artes,
Quod conjecturis sublimibus abdita quærit,
Quod meminit recte, sapit acriter, æstimat apte,
Quod studium fandi excoluit, quod legibus urbes
Instituit, moresque feros ratione recidit,
Ut pœnæ metus officio certarit amoris.
Jam cum exercetur numeris ad sidera cœli
Per cursus noscenda suos, et scire videtur
Defectus solis varios, lunæque labores,
Quam speciosa sibi est, et quam vanescit in ipsis?
Quæ licet ex primo naturæ habeantur honore,

Non tamen ad veram possunt perducere vitam.
Denique ab his præceps in multas religiones
Decidit, et factis hæsit factore relicto.
Nam si nunc etiam illæsis vigor ille maneret,
In quo insons natura fuit : sua quemque voluntas
Conciliare Deo, pœnaque absolvere posset :
Nequicquam Christus mortem moriendo piaret :
Peccatum et mundi sanguis non tolleret agni :
Nec genus humanum generari rursus egeret
Conditione nova, quoniam sapientia sana,
Sana fides, sanum arbitrium, mens libera morbo,
Vitam agerent dignam summorum participatu.
Sed prostrata semel, quanto natura profundo
Immersa, et quantæ sit mole oppressa ruinæ?
Verbum homo fit, rerumque sator sub conditione
Servilis formæ dignatur Virgine nasci,
Inque infirmorum cunctos descendere sensus.
Vexatur virtus; sapientia ludificatur;
Justitia injustos tolerat; clementia sævos;
Gloria contemptum subit, et tormenta potestas :
Inque crucis pœnam nulli violabilis usquam
Vita agitur : cujus perimatur morte peremptor,
Justo ut pro injustis effuso sanguine, sit mors
Unius insontis multorum vita reorum.
Hoc igitur pretio captivi cum redimuntur,
Agnoscant quali conclusi carcere, quove
Obsessi fuerint morbo : quibus eripiendis
Succurri haud aliter potuit quam morte medentis.
Et quia de magnis opibus nonnulla supersunt,
Quæ decorent nudos, et quæ solentur egenos :

Non ita pro summis oblectent ultima lapsos,
Ut de supplicio tumeant : atque ordine verso
Quo sint effecti miseri, sint inde superbi.
Aut cum hebetes visus longa ex caligine tandem......
Naturæ hoc potius, libertatique volendi,
Quam Christo tribuant : ne scilicet evacuetur
Arbitrii virtus, si desit recta legendi.
Hoc patribus primis mortis sator insinuatus
Consilio est : hac arte omnes prostravit in uno :
Dum suadet multo præstantius esse quod ipsis
(Non tribuente licet Domino) sponderet habendum
Prudens libertas, vetitoque instructa cupido :
Quæ nunc per veteris serpens vestigia fraudis,
Deceptos simili studet inflammare furore :
Ut quoniam pulchrum est veris impendere curam,
Justitiæque avidos bona nosse et velle salubre est,
Suadeat ingenio cujusque hoc lucis inesse
Ut naturali mens vivida mobilitate,
Non spirante Deo, Christi exardescat amore :
Utque ita salvatrix nil Gratia conferat istis,
Sed referat, pretioque bonos non munere ditet.
His de seminibus multo jam plura oriuntur,
Et frumenta inter primo turgentia lacte,
Spinis fulta subit seges horrida zizaniorum.
Sed nos qui Domini semen sumus, agricolæque
Stamus ope, et supera perflati vivimus aura,
Viperei calicis gustum procul excutiamus,
Divinique operis constanter confiteamur
Figmentum nos esse novum : quod prorsus ab illa
Stirpe vetustatis discretum est atque recisum.

Et jam sit penitus carnalis originis exsors,
Qui membrum est Christi, capitisque in corpore vivit :
A quo subjectos vigor omnis manat in artus,
Et sic quæque suo vegetantur in ordine partes,
Ut quod agunt, et dispositis quod motibus explent,
Ex illo possint, qui summa atque ultima pacans
Ut nos insereret summis, se miscuit imis.
Conticeant igitur qui dicunt esse cavendum,
Ne desit sanctis sumendæ causa coronæ,
Si non ipsorum bona reperiantur in illis,
Hoc etenim tumida nimis impietate docentes,
Quid nisi justitia nos et virtute, Deoque
Dispoliare volunt : ne lux in nocte coruscet,
Languida ne in vires redeant, ne mortua vivant ?
Sed nobis summo verorum a fonte bonorum
Haurire hæc, supero et semper splendore nitere
Gloria sit, non spes in fœni flore caduco.
Sicut enim palmes nullos valet edere fructus
Non in vite manens, quæ de radice ministra
Succum agat in frondes, et musto compleat uvas :
Sic infecundi virtutum, et fruge carentes
Perpetui cibus ignis erunt : qui vite relicta
Audent effusa de libertate comarum
Fidere, ne Christi sint ubertate feraces.
Et mage se credunt propriis excellere posse,
Quam si virtutum placitarum sit Deus auctor.
Viles ergo putent se deformesque futuros,
Cum transformatis fiet Deus unica sanctis
Gloria : corporei nec jam pressura laboris

Conteret incertos, sed in omnibus omnia semper
Christus erit. Quod si pulchrum et super omnia magnum est,
Cur pudet hac etiam fletus in valle potentes
Esse Deo, minimumque operis mortalis habere,
Quod non est nisi peccatum quo discrucietur
Libertas : ad quam solam male gesta recurrunt?
Et tamen in sanctos animum cum intendimus actus,
Cum desideriis carnis mens casta repugnat,
Cum tentatori non cedimus, et per acerbas
Vexati pœnas illæso corde manemus,
Libertate agimus : sed libertate redempta
Cui Deus est rector, summoque ex lumine lumen,
Vita, salus, virtus sapientia : Gratia Christi est,
Qua currit, gaudet, tolerat, cavet, eligit, instat.
Credit, sperat, amat, mundatur, justificatur.
Si quid enim recti gerimus, Domine, auxiliante
Te gerimus : tu corda moves : tu vota petentis
Quæ dare vis tribuis, servans largita, creansque
De meritis merita, et cumulans tua dona coronis.
Non autem hoc curam minui, studiumque resolvi
Virtutum, aut opus ingenii torpere putandum est,
Quod bona Sanctorum tua sunt, et quidquid in illis
Aut sanum, aut validum est, de te viget : ut videatur
Nil actura hominis, te cuncta gerente, voluntas.
Quæ sine te quid agit, nisi quo procul exulet a te?
Præcipites semper calles, et devia motu
Ingressura suo : nisi fessam, tu bone, et ægram
Suscipias, referas, foveas, tuearis, honestes.
Tunc fiet cursus velox, oculique videntes,

Libera libertas, sapiens, sapientia, justum
Judicium, et fortis virtus, et sana facultas.
Hujus opis semper, Pater, indigeamus: ab ipsa
Prodeat arbitrium nostrum, nihil hac sine, sensus
Corporei possint, opus ut servile quiescat.
Et tua dum in nobis agitur, non nostra voluntas,
Legitima in sanctis ducamus sabbata festis.

EPITAPHIUM NESTORIANÆ ET PELAGIANÆ HERESEON.

Nestoriana lues successi Pelagianæ,
  Quæ tamen est utero prægenerata meo.
Infelix miseræ genitrix et filia natæ
  Prodivi ex ipso germine quod peperi.
Nam fundare arcem meritis prior orsa superbis
  De capite ad corpus ducere opus volui.
Sed mea dum proles in summa armatur ab imis,
  Congrua bellandi tempora non habui.
Et consanguineæ post tristia vulnera fraudis
  Aspera conserui prælia fine pari.
Me tamen una dedit victam sententia letho
  Illa volens iterum surgere, bis cecidit.
Mecum oritur, mecum moritur, mecumque sepul-
crum
  Intrat, et inferni carceris ima subit,
Quo nos præcipites insana superbia mersit,
  Exutas donis, et tumidas meritis?
Nam Christum pietate operum et mercede, volent-

Esse Deum, in capitis fœdere non stetimus,
Sperantesque animi de libertate coronam
Perdidimus quam dat gratia justitiam.
Quique igitur geminæ miseraris busta ruinæ
Ne nostro exitio consociare cave.
Nam si quæ Domini data munera sero fatemur
Hæc homini credis debita, noster eris.

DIVI

PROSPERI

EPIGRAMMATA

SUPER DIVI AUGUSTINI SENTENTIAS.

I.

IN OBTRECTATOREM S. AUGUSTINI.

CONTRA Augustinum narratur serpere quidam
Scriptor, quem dudum livor adussit edax :
Qui caput obscuris contectum utcunque cavernis
Tollere humo miserum perpulit anguiculum.
Aut hunc fruge sua æquorei pavere Britanni,
Aut huic Campano gramine corda tument.
Quæ concepta fovet, promat : quæ parturit, edat,
Seu vetere armatur dogmate, sive novo.
In quoscunque sinus spirarum torqueat orbes
Et fallax multa contegat arte caput,
Currentem attritos super aspidas et basiliscos
Declinare senem vipera non poterit.

II.

IN EUNDEM.

QUIDAM doctiloqui libros senis Augustini
Carpere et adversum, condere fertur opus.

Usque adeone bonum ingenium et facundia dives
 Ostentare artem non aliter potuit,
In nova prostratas acies nisi bella cieret,
 Impiaque exstinctis hostibus arma daret?
Hæc pugna, incentor, mors est tua: te stylus iste
 Conficit, et verbis perderis ipse tuis.
Dumque doces quantum valeat mens libera, monstras
 Velle tuum tibimet sufficere ut pereas.
Verte gradum, fuge perniciem, stratosque rebelles
 Oris Apostolici fulmine ubique vide.
Nec te mutato defendi nomine credas,
 Si pastorem ovium lædere vis, lupus es.

III.

Dum sacris mentem placet exercere loquelis,
 Cœlestique animum pascere pane juvat,
Quosdam ceu prato libuit decerpere flores,
 Distinctisque ipsos texere versiculis,
Ut proprias canerent epigrammata singula causas,
 Et pars quæque suo congrueret titulo.
Nec nostrum hoc opus est, sed ab illo sumitur hic ros,
 Qui siccam rupem fundere jussit aquas.
Ut quod in affectum cordis pietate magistra
 Venerit, hoc promat carmine læta fides.

IV.

Perfecte bonus est, et vere dicitur insons,
 Nec sibi, nec cuiquam, quod noceat, faciens.
Nam quicunque alium molitur lædere, primum
 Ipsum se jaculo percutiet proprio,
Et cum forte animum non sit secuta facultas,
 Non dubium in cordis viscere vulnus habet.

Nec fugit infecti sceleris mens prava reatum,
Cui nimis hoc solum, quod voluit, nocuit.

V.

Naturæ quisquis propriæ non spernis honorem
In quocunque hominum, quæ tua noscis, ama.
Sic tamen, ut pravos vitet concordia mores,
Nullaque sint pacis fœdera cum vitiis.
Namque, quod artificis summi fecit manus, unum est,
Quæque auctore bono condita sunt, bona sunt.
Divinum in nullo figmentum despiciatur.
Sola malis studiis addita non placeant.

VI.

Æternus vere est solus Deus omni creator,
Vita in se vivens permanet esse, quod est.
Hoc pater, hoc verbum patris, hoc est spiritus almus,
Quorum natura est una, eademque simul.
Non cœptum, aut actum, non hic mutabile quidquid est,
Quod subeat leges temporis, aut numeri.
Virtus præteritis prior, ulteriorque futuris
Nil recipit varium, nil habet occiduum.
Nam quas, ut voluit, rerum sapientia fecit.
Vita quidem multis præstita perpetua est,
Sed quodcunque potest sese amplius aut minus esse,
Quodam fine, ipsi quod fuerat, moritur.
Sic nihil æternum, quod commutabile factum est,
Cunctaque quod superat, semper idem Deus est.

VII.

Multa diu summi differt patientia regis,
Suspendens æqui pondera judicii,

Et dum plectendis parcit clementia factis,
Dat spatium, quo se crimine purget homo.
Denique committunt homines mala crimina semper.
Dat spatium, ut pereant crimina non homines.
Verbere non unquam castigans corda paterno,
Ne cito consumant sæva flagella reos.
Sic pietate Dei terrarum non vacat orbis,
Et nihil est, quod nos non trahat ad veniam,
Cum rex salvandis, ipsa quoque consulit ira,
Et curat medicus vulnera vulneribus.

VIII.

Cum Deus exerta peccantes verberat ira,
Ut norint homines, quid mereantur, agit.
Nam dum mortalis peraguntur tempora carnis,
Auxilium miseris ipsa flagella ferunt.
Et vindicta brevis sic noxia crimina finit,
Ne sine fine habeat debita pœna reos.

IX.

Laus vera in Dominum de promitur ore precantis
Si quæ voce fluunt, intima cordis habent.
Non prodest cuique solis bona dicere verbis,
Ni pia mens habeat, quod bene lingua sonat.
Nam fari recte miserum est, et vivere prave.
Damnat nota malum regula justitiæ.

X.

Plurima sanctorum bona sunt communia multis,
Et quiddam recti constat inesse malis,
ed pia pars summæ tendens virtutis ad arcem
Omne operum meritum transit amore Dei.
Quo pariter quæcunque hominum sic diligat, ut se.

Hoc optans aliis, quod cupit ipse sibi.
Unde istis geminis virtutum qui caret alis,
Cœlorum ad regnum non habet, unde volet.

XI.

Exueret Deus ut tetra caligine mundum,
Doctrinæ accendit lumen Apostolicæ,
Quæ nullis animis, nullis non congruit annis,
Lacte rigans parvos, pane cibans validos,
Non tempus, non sexus, huic non causa resistit,
Omnes curat, alit, justificat, vegetat.
Sumite, quæ magnæ apposuit sapientia mensæ,
Et variis pasci discite deliciis,
Quarum pars totum est epulum, quo quisque juvat,
Inde capit vitam, quam parit una fides.

XII.

Scire Deum cupiens gaudere, et vivere quærit,
Si verum, et summum norit amare Deum,
Cui tribuat quidquid recte sapit, optat, agitque,
Et sine quo carnis gloria pulvis erit.
Non ergo in quoquam sua munera deserit auctor
Perque suum Dominus se manifestat opus.
Inque illis habitat dives penetralibus hospes,
Quæ gaudent hoc se cuncta quod ipse dedit.

XIII.

Ut perdunt propriam mortalia corpora vitam,
Si nequeunt escas sumere corporeas,
Sic animæ, nisi deliciis rationis alantur,
Dum verbi æterni pane carent, pereunt.
Nam quid erit, quod dira procul fastidia pellat,
Cum seipso refugit mens saturare Deo.

XIV.

Esse Deo verum et proprium est cui quisquis adhæret,
Æterni regni lumine semper erit.
Nam qui justitiam spernunt non esse laborant,
Inque nihil tendunt, et esse nihil queunt.
Non ergo illorum poterit pars multa videri,
Quorum in sanctorum nullus erit numero.
Sed vere magni et multi sine fine manebunt,
In Christo quorum gloria præpes erit.

XV.

Nulla Deum oblectat miserorum pœna reorum,
Nec scelerum vindex ira movet placidum,
Omnipotentis enim recta et tranquilla voluntas,
Quidquid decerni convenit, hoc statuit.
Ut nullis pateat regis censura querelis,
Cum juste accipiat debitus ordo malos.

XVI.

Scriptorum Domini plenum videt omne profundum,
Implet qui factis cognita verba piis.
Nam nimis ascensu doctrinæ devius errat,
Si quæ curavit, scire fugit facere.

XVII.

Est et in hac vita multis requies data sanctis,
Quorum animas mundus non tenet occiduus.
Quos desideriis nullis peritura fatigant,
Et quibus omne bonum est Christus, et omnis honor.
Utuntur terra, ut cœlo, fugientia temnunt,
Quod credunt, quod amant, quod cupiunt, Deus est.

XVIII.

Quid voveat Domino quisquis bene corde volutat,
Ipsum se totum præparet, et voveat,
Major enim nequit offerri hostia mentis in ara,
Nec Christi exemplo suavior exit odor,
Quam cum homo castorum profert libamina morum,
Et de virtutum munere sacra litat.
Sic tamen, ut norit, qui reddit vota tonanti,
Unum divinis cultibus esse locum.
In toto mundo, quem vera ecclesia præbet,
Et sine quo nullum justitiæ est meritum.

XIX.

Justitiæ merces gemina est, vel cum bona rectis,
Vel pravis digne cum mala restituit.
Salvatrix autem cunctorum gratia Christi,
Non pensans meritum diluit omne malum,
Credentesque omnes renovans baptismate sacro,
Dat bona, quæ propter det meliora bonis.

XX.

Cœlestem ad patriam Christo redimente vocatus
Vitam labentis temporis hospes agit;
Dumque ad promissam requiem non per sua tendit,
Mundanæ patitur multa pericla viæ.
Quæ nunc obsessa adversis, nunc plena secundis,
Aut frangit trepidos, obligat aut dubios.
Inter quos laqueos currentem ad gaudia vitæ,
Non capiet mundus, cui via Christus erit.

XXI.

Nulla anima est, quæ non mortali carne gravetur,
Nec de corporea conditione gemat.

Sed confirmare invalidam, et frenare rebellem,
Legitimum, et proprium est mentis opus dominæ.
Quæ vis naturæ moderamine temperet æquo,
Et subdat sceptris noxia cuncta suis.
A Domino auxilium, et vires petat, ut valeat se
Vincere, nec sensus incitet ipsa suos.
Nam nullus famulæ poterit compescere motus,
Ni fuerit Christi semper amore potens.

XXII.

Arcta via est, veræ quæ ducit ad atria vitæ,
Nec recipit carnis gaudia mentis iter.
Amplis incedit spatiis terrena voluptas,
Angusto virtus limite celsa petit.
Et tamen hii calles, quos mundi vana pavescunt,
Quædam magnificis æquora sunt animis.
Difficilisque nimis per dura, per ardua gressus
Commendat fidei, quod tolerare juvat.

XXIII.

Hac desiderii Deus est pietate colendus,
Justitiæ ut merces tota sit ipse Deus.
Nam sperans alio se munere posse beari,
Non, quod poscit, amat, sed, quod habere cupit.

XXIV.

Culpare in quoque, quæ non sunt nota, malignum est,
Præsertim si, quæ cognita sunt, bona sunt.
Non pateant faciles sævis rumoribus aures.
Quæ nescire juvat, credere non libeat.
Linquantur secreta Deo, qui si quid opertum est,
Inspicit, et nullis indiget indiciis.

XXV.

Non dubie nostri Deus est et rector, et auctor,
Cum toto affectu quæ bona sunt, gerimus
Ex operum specie clarebunt intima cordis.
Quive hominis mentem spiritus intus alit.
Sanctus enim sanctos facit, et de lumine lumen
Exoritur, nullus fit bonus absque bono.

XXVI.

Quod plærumque mali in sanctos sævire sinuntur,
Quodque bonis pravi sæpe nocere queunt.
Absque Dei nutu non fit, qui corda suorum
Hiis etiam bellis glorificanda probat.
Crescunt virtutum palmæ, crescuntque coronæ,
Mutantur mundi prælia pace Dei.

XXVII.

Scit legem, docteque tenet jussa omnipotentis,
Qui quod novit, agens diligit id, quod agit.
Non satis est Domini præceptum volvere lingua,
Is meminit legis, qui memor est operis.

XXVIII.

Legem spernentes odit cum legis amator,
Non homines odit, reprobat id, quod agunt.

XXIX.

Scrutari legem possunt utcunque quieti,
Si mundi a strepitu libera corda vacent.
Ut mens ergo piis studiis intenta juvetur,
Prælia divinus carnea vincat amor.
Nam templum Domini per sacra silentia crescit,
Et tacite struitur non ruitura domus.

XXX.

Doctrinæ Domini penetralia tempore in isto
Ad plenum nulli pervia sunt homini.
Semper enim sanctis superest, quo crescere possint,
Et perfectorum gloria principium est.
Virtutem virtus pariet; de lumine lumen
Prodeat, atque omnis palma gradum faciat.
Nam cur non cupide mens quærat, quæ Deus offert,
Cui danda, ut recte posceret, ipse dedit.

XXXI.

Omnibus in rebus geminum est opus omnipotentis.
Totum justitia est, quod gerit, aut pietas,
Quæ simul in terris descendunt lucis ab arce,
Ne cuiquam parti desit utrumque bonum.
Et quoniam cuncti auxilio miserantis egemus,
Præcedit semper gratia justitiam.
Damnantem elatos, salvantem justificatos,
Quos Deus et donis auxerit, et meritis.

XXXII.

Moribus in sanctis pulchra est concordia pacis;
Cum multis unum convenit, atque placet.
Sed tamen hæc cohibenda modo sunt fœdera amoris,
Ut solis pax hæc sit tribuenda bonis.
Injustis etiam præstetur justa voluntas,
Nec quemquam spernant vota benigna hominem,
Non ut amicitiæ vitiis socientur iniquis,
Adsit, sed pravis ut medicina animis,
Quæ si pace sua non sedat turbida corda,
Non nobis possit nostra perire quies.

XXXIII.

Sæpe quidem Dominus sic cuncta adversa repellit,
 Ut nullo attingi vulnere possit homo.
Sed mirabilior tunc est manus omnipotentis
 Illata afflictum cum mala non superant.
Laudetur custos virtutem dans toleranti,
 Intima corrumpat ne furor exterior.
Nam non certanti nulla est speranda corona,
 Palmam, qua capitur gloria, finis habet.

XXXIV.

Cœlestem ad patriam tendens cognosce vocantem,
 Cujus proveheris, si bene curris, ope.
Nam, si te virtute tua ad cœlestia credis
 Scandere, de superis pulsus ad ima cades.

XXXV.

Impia pars mundi parti est infesta piorum,
 Nec tolerare potest dissimiles animos.
Ridens nolentes opibus præsentibus uti,
 Sperantesque sibi credita posse dari.
Sed spernenda hæc sunt populis opprobria sanctis,
 Quæ stulte jaciunt corda aliena Deo;
Nam spes nostra ex hoc visu fit certior omni.
 Quod spondens, quidquid credimus, hoc Deus est.

XXXVI.

Cum constans anima adversis non frangitur ullis,
 Et fidei virtus intemerata manet.
Norit inesse sibi Dominum patientia fortis,
 Inque ejus donum quod steterit, referat.
Nam quod non cecidit, propriis si viribus aptat,
 Hoc ipso, quo se stare putat, cecidit.

XXXVII.

Reddedum est quinquid mundi bene postulat ordo,
Propositumque pie non violat fidei.
Mitibus, et sanctis nulla est speranda potestas.
Æquum est servire regibus, et dominis.
Ut Christi famulis ad verum prosit honorem
Dilexisse bonos, et tolerasse malos.

XXXVIII.

Dum mutabilium decurrunt tempora rerum,
Dumque suis mundus motibus atteritur.
Rectorum est adversa pati, et tolerare modeste,
Nec querula in quoquam voce movere Deum,
Cujus judicio nulli parcetur iniquo;
Et perpes justos gloria suscipiet.

XXXIX.

Cum lapides vivi pacis compage ligantur,
Inque pares numeros convenit una domus,
Claret opus Domini, qui totam construit aulam,
Effectumque piis dat studiis hominum,
Quorum perpetui decoris structura manebit,
Si perfecte auctor protegat, atque regat.

XL.

Semper erunt, quod sunt, æternæ gaudia vitæ,
Gaudendi quoniam causa erit ipse Deus,
Nec varios pariet motus diversa voluntas.
Unum erit in cunctis lumen, et unus amor.
Inque bonis summis posita experientia felix,
Nec volet augeri, nec metuet minui.

XLI.

Verus amor Christi vera est custodia legis,

Et mandata Dei complet amans homines,
Quorum ignoscentes culpis, sua crimina solvunt,
Quodque aliis tribuunt, hoc sibi prospiciunt.
Det peccatori veniam peccator, et æqua
Conciliet Dominum conditione sibi;
Cujus judicium de nostro examine pendet,
Quod serimus, metimus, quid damus, accipimus.

XLII.

Non ideo quidquam mandat, Deus quo sibi prosit,
Nec servi officio verus eget Dominus,
Cujus præceptis augetur, qui famulatur,
Fitque minor quisquis negligit imperium.
Nam Deus omnipotens, simul omnitenensque potestas
Nil perdit proprium, nil capit occiduum.
Nunquam non habuit, quod habet, dans omnia haberi.
Proderit, et sumens non nisi, quod dederit.

XLIII.

Insolitum si quid labentia tempora promunt
Hoc mirum mundus dicit, habetque novum,
Sed rerum auctori nullus non cognitus ordo,
Cernenti quidquid secula cuncta ferunt,
Quæ non incerto volvunt magna agmina motu,
Sed sub judicio stantque, fluuntque Dei.
Ut nihil existat naturæ in partibus ullis,
Quod non ille suo temperet arbitrio.

XLIV.

Lex æterna Dei stabili regit omnia nutu,
Nec mutat vario tempore consilium.
Utque locis præsens simul est Deus omnibus unus,
Sic rerum metas secum habet, et numeros.

Nec serum, aut properum sibi sentit in ordine rerum,
Cui cuncta assistunt acta, et agenda simul.

XLV.

Qui se peccatis gaudet feliciter uti,
Infelix nimis est prosperitate sua.
Dumque capit miseros effectus prava voluntas,
A vera semper luce fit exterior,
Sumens pestifera de consuetudine robur,
Et sua complectens vincula mortis amor.
Deficiant potius vana oblectamina mundi,
Subdanturque pio colla domanda jugo,
Inque putres fibras descendat cura medentis,
Ut blandum morbum pellat amica salus.

XLVI.

Index peccati lex est plectenda vetando,
Quæ, nisi cor mundet spiritus interimit.
Nullus enim est insons sola formidine pœnæ,
Qui sanctum, et justum non amat imperium,
Hunc tamen affectum non lex, sed gratia confert,
Quodque jubet legis littera velle facit.

XLVII.

Non servit jussis legis prudentia carnis,
Peccati stimulos nec superare potest.
Sed quia mens anceps patitur male corporis ægri,
Quærere divinum cogimur auxilium.
Lex igitur facit, ut poscatur gratia Christi.
Ardua, qua legis jussa queant fieri.
Nec jam non valeat carnales vincere sensus,
Quos justæ legis conditor ipse juvat.

XLVIII.

Quæ Deus omnipotens promittit, perficit ipse,
Nec proprium externis viribus implet opus,
Hinc secura fides sperat, quod credit, amatque
Auctorem, qui quod spondet, et efficiet.
Nam si quæ Dominus promittit, non operatur,
Sed solum humanum prævidet arbitrium,
Non hæc donà ejus, sed sunt prædicta vocanda,
Ceu quisquam ex proprio sit bonus absque Deo,
Quod quia non recipit pietas, veroque repugnat,
Gratia nos reparet, gratia justificet.
Quæ sic in cunctis implet sua dona vocatis,
Ut quorum dux est, fiat et ipsa comes.

XLIX.

Ut quædam tenues maculæ in splendore piorum,
Major virtutum, quas vacuat numerus,
Æternæ donis nequeunt obsistere vitæ,
Nec merita obscurat gaudia culpa levis,
Sic aliquid plerumque boni pars impia gestat,
Magni mole mali quod facile obruitur.
Nec prodest quiddam recti sapuisse malignis,
Si verum et sanctum non coluere Deum.
Una fides igitur, spes una est, atque amor unus,
Quo fiat justus, sitque beatus homo,
Nam bona quæ pravis naturæ ex dote supersunt,
Augent peccati pondera, non minuunt.

L.

Cum datur in justo peccandi optata potestas,
Ut mala mens prave, quod cupit, efficiat,
Ira Dei magna est, qua multos sic quoque punit,

Ut quibus exsultant criminibus, pereant,
Crescit enim occulte cum longo pœna reatu,
Ausibus illicitis si nihil obstiterit.
Et magis, erranti ne parcant flagra, timendum est,
Quam, ne non fiat, quod voluisse nocet.

LI.

Omnia vitia in malefactis tantummodo valent, sola Superbia etiam in recte factis cavenda est.

Omne genus vitii proprio tantum valet actu,
Et peccata suam quæque gerunt speciem.
Sola est innumeris armata superbia telis,
Cui possunt vires et bene gesta dare.

LII.

In rebus mundi non est idem omnibus usus,
Nec cuncti paribus cuncta ferunt animis.
Namque bonos non blanda inflant, non aspera frangunt,
Sed fidei invictæ gaudia vera juvant.
Terræ autem, et feni breviter florentis amator
Seu caret optatis, seu fruitur, miser est.

LIII.

Cuncta bonis prosunt, quos et mors ipsa beatos
Efficit, ut sumant præmia principium.
Ille igitur finis malus est, quem pœna sequetur,
Et qui perpetui porta doloris erit.
Non quo assumuntur lacrymæ, cunctique labores,
Ut veteris pereant omnia signa mali.

LIV.

Mens illæsa nihil violato corpore perdit,
Si vitam carnis vulnera non maculant.

Nec crimen facti recipit non mixta voluntas,
Velle magis facinus, quod tolerare nocet.
Sic autem ad cordis penetralia cuncta recurrunt,
Ut plerumque animus sit sine carne reus,
Dum quod ab intacto semotum est corpore, solus
Concipit, et tectis motibus intus agit.

LV.

Qui valet adversis oneratam ducere vitam,
Et tolerare magis vult mala, quam fugere.
Majoris multo est animi, quam ferre pavescens
Indocti injustum judicium populi.
Mens et enim recta, et puri sibi conscia cordis,
Hoc plus splendescit, quo magis atteritur.

LVI.

Oppressis quoties justis dominantur iniqui,
Non est puniti supplicium meriti;
Sed virtus fidei sub tali examine crescit,
Nec servile gravat libera corda jugum.
Solus peccator servit male, qui licet amplo
Utatur regno, sat miser est famulus,
Cum mens carnalis nimium dominante tyranno,
Tot servit sceptris dedita, quot vitiis.

LVII.

Optima vota Deo, quorum est dator ipse, voventur
Hoc sursum dignum est ire, quod inde venit.

LVIII.

Natura omnipotens una est, quæ cuncta creavit,
Et proprie, quod sunt, omnibus esse dedit.
Nam quidquid minus est, non est Deus, a patre na-
tum

Verbum, et qui amborum spiritus est, Deus est.
Una eademque trium, quoniam est essentia, quæ se
Nunquid vel major, vel minor esse potest.

LIX.

Tales a Domino, quales formamur, amamur,
Non quales nostris exstitimus meritis.
Sanctificet, doceat, plantet, riget, excolat, ornet,
Et sibi perpetuo, quod placeat, faciat:
Nam nihil est hominis, quod digne possit amari,
Perficiat proprium ni bonus auctor opus.

LX.

Artifice in summo sine tempore temporis ordo est,
Inque Deo rerum non variat series,
Æterno auctori simul adsunt omnia semper,
Cum quo in factorum est ordine, quidquid erit.

LXI.

Principium mundi Deus est, quo cuncta moventur,
Et quæ permittit, vel jubet, auctor agit:
Hinc mutabilium, rerum immutabilis ordo
Æterni servit legibus artificis,
Inque suos fines procedit quæque voluntas,
Nec variis meritis arbiter æquus abest.
Corda regens, vires tribuens, peccata remittens,
Mitis subjectis, implacidus timidis;
Ut nec pœna malum quemquam, nec gloria justum
Suscipiat nisi cum laude, et honore Dei.

LXII.

Scire volens, in qua rerum sis parte locandus,
Discute, quid timeas, quidve sit id, quod amas:
Nam cuncti hoc gemino nascuntur fomite motus,

Respondentque suis germina principiis :
Et quod quisque bonum, sibi tempore duxit in isto,
Hoc summi regis judicio capiet.
Angelicos cives, et Christi in membra renatos
Non trahat ad veterem carnis origo hominem:
Multa quidem in nostros bona mundus procreat usus,
Et pleno tellus servit opima sinu.
Sed terræ hospitibus cœli super astra vocatis,
Virtutis palma est spernere blanda soli,
Et sic præsentis spatium percurrere vitæ,
Ipsa peregrinis ne via sit laqueus;
Nam declinantes pro summis ferre laborem,
Terrenorum avidos infima suscipient.

LXIII.

Nulla quidem mens est mortali in corpore vivens,
Quæ plena videat cognitione Deum,
Sed miris operum signis ostenditur auctor;
Rectoremque suum condita quæque canunt :
Unde licet fandi vires, animique vigorem
Vincat, et excedat gloria lausque Dei,
Nos tamen officio cordis gaudemus, et oris,
Et tanto oblectat succubuisse bono :
Hinc fidei virtus, hinc flamma oriatur amoris,
Quod latet exercet, quod superat reparet.

LXIV.

Lethifer immodico naturæ elatus honore
Angelus, unde hominem subruit, inde ruit ;
Sed Christus miserans deceptum fraude maligni,
In se, illi ad vitam posse redire dedit,
Si caveat pactis hostis servire superbi,

Sectari studeat formam humilis Domini,
Qui patris in deitate manens Deus omnicreator,
Verus de sacra virgine natus homo est;
Sic nostrum assumens matris de corpore corpus,
Esset ut assumptæ carnis origo Deus,
In quo per lavacrum fidei virtute renata
Cœleste accipiet gens nova principium,
Nil hominis primi retinens, sed plena secundi
Splendore, et capitis glorificanda sui.

LXV.

Non semper vere est felix impleta voluntas,
Cum sæpe injustis sint mala vota animis.
Recta igitur cupiens, etiam si non sit adeptus,
Persistendo tamen velle bonum, bonus est:
At pravus quod fert animo, si non habet actu,
Tam miser est, quam si, quod cupit, obtineat.

LXVI.

Majestate Dei concluditur omne, quod uspiam est,
Qua sine nil rerum stare, vel esse potest,
Huic homo si recte famulatur, proximus hæret,
Si resilit, misero degitin exsilio.
Omnia sic Dominus discriminat ordine justo,
Quo sint summa bonis ima parata malis.

LXVII.

Omnipotens genitor, natusque, et spiritus almus
Una in personis par tribus est deitas,
Quæ genus humanum prostratum fraude maligni,
Ad vitam hac fecit posse redire via,
Naturæ ut nostræ Christus causæque redemptor
Mortalis fieret non minuens, quod erat.

Perque habitum servi vacuaret jura tyranni,
Et lethum letho vinceret immerito;
Hinc verbum carni insertum, carnemque receptans
Nec se confundit corpore, nec geminat:
Sic naturam hominis virtute augente superna,
Esset ut in vero lumine lumen homo;
Qui vires mortis per vitæ absorbuit haustum
Factum est æternum, quod fuit occiduum.
Quisquis consilio æterno contraria sentis,
Et verbum in nostra carne manere negas,
Divinæ pietatis opus dissolvere quæris,
Speque sua mundum dispoliare cupis.
Nam quis ventura quemquam salvabit ab ira?
Quisve hominis primi crimine liber erit?
Si deitas verbi non nostræ est insita carni,
Aut Christus falsi corporis umbra fuit,
Quis genitus puer est intactæ virginis alvo,
Quæ natura annis crevit, et aucta cibis,
In qua prole patrem mundi se credidit Abram,
Quæve ejus stirps est omnia sanctificans;
Quod regale genus, simul est, et pontificale;
Quisve idem David filius, et Dominus?
Peccati servis et mortis compede vinctis
Unam est dignatus ferre redemptor opem,
Qui nostri generis carnem cum morte receptans
Nostra, hosti, ut nobis vinceret, opposuit.
Et carne exuta dominantem perculit hostem,
Ut caperet palmam præda vetusta novam.

LXVIII.

Recta volens, animus sapiens, et amator honesti,

Quosdam odio dignos judicat esse suo;
Nec tamen hos toto depellit fœdere, gnarus
Naturam errantum dividere a vitiis,
ic generi indulgens proprio, ut peccata recidi
Optet, et ut damnet crimina, non homines.

LXIX.

allaces semper curis torquentur amaris,
Et mala mens nunquam gaudia pacis habet;
ubrica dum trepido mendacia plasmate fingit
Consumens totum tempus in arte mali:
t simplex animus, commenti et liber iniqui,
Nil amat injustum, nil gerit implacidum.
ctator veri potietur luce serena.
Est quoniam mendax, noxque, dolorque sibi.

LXX.

l patriam vitæ de noctis valle vocati,
Virtutum gradibus scandite lucis iter;
duus, atque arctus fert ad cœlestia callis,
Devexa ad mortem ducit, et ampla via,
ıa fallax tumidi incedit sapientia mundi,
Commentisque suis ludificata ruit:
mala corporei sequitur dum gaudia sensus,
Exsulat a vero lumine cæca procul;
c falsarum habitu virtutum ornata juvatur,
Perdit mens veri nescia, quidquid agit,
verit ergo Deum sapiens, totisque medullis
Diligat, inque ipso se quoque amator amet,
bonus et justus, sit verax, atque benignus,
Sit forma, et speculum, lux, et imago Dei.
Christo factus novus, et jam carne vetusta

Exutus, vilem mente relinquat humum,
Ut sacri templi quacunque in parte locetur,
Magnum erit in capitis corpore, quidquid erit.

LXXI.

Quamvis in sacris libris, quos nosce laboras,
Plurima sint lector clausa, et opaca tibi,
Invigilare tamen studio ne desine sancto;
Exercent animum dona morata tuum,
Gratior est fructus, quem spes productior edit,
Ultro objectorum vilius est pretium:
Oblectant adoperata etiam mysteria mentem,
Qui dedit, ut quæras, addet, ut invenias.

LXXII.

Ferre parans Christus pœnam, mortemque propi-
quam,
Invictamque suis ingenerare fidem,
Cum prece sanguineas fundebat corpore guttas,
Et pretium mundi sudor erat Domini,
Nec Crucis asperitas poterat terrere volentem,
Quæ regnaturæ gloria carnis erat;
Sed cruor ille pares sanctis spondebat honores,
Orturis toto corpore martyribus:
Nam cum sacra seges terrarum impleverit orbem,
Omnis ab hoc uno semine messis erit.

LXXIII.

Magnum præsidium est sacro libamine pasci,
Si cor participis crimina nulla premunt;
Nam geminat sibimet peccati pondera, quisquis,
Quæ bona sunt, sumens, quæ mala, non refugit.

LXXIV.

Qui laudat Dominum de mundi conditione,
Et rerum in specie prædicat artificem,
Laudet et æternam mortem, flammasque minantem,
Et justi regis judicium metuat.
Spes de promissis nil ambigat, omne dabit rex,
Quod parat, et meritis gratia major erit,
Si properent sontes peccati abrumpere nodos
Ante diem mortis, dum locus est veniæ.

LXXV.

Converti ad rectos mores et vivere sancte
In Christo meditans, quod cupit, acceleret,
Cedant virtuti vanarum obstacula rerum,
Ne perdat voti tempora lenta fides.
Quid juvat in longum causas producere morbi?
Cur dubium exspectat cras hodierna salus?
Scimus correctis veniam non esse negandam,
Sed nulli nostrum est ultima nota dies.

LXXVI.

Utile prudenti est, mundana adversa cavere,
Et quod vitandum est prospiciat fugere,
Sed cum peccati merito manus omnipotentis
Omnia concludens arctat ubique reum,
Unum profugium totum est Deus ipse timenti,
A quo discedens ne pereat, redeat;
Converti namque ad Dominum certissima vita est,
Et pacem offensi quærere, sola salus:
Qui terret, parcit, qui percutit, ipse medetur:
Vivere vis illi, subdere, quem metuis.

LXXVII.

Carnis virginitas intacto corpore habetur,
  Virginitas animæ est intemerata fides,
Qua sine corporei nil prodest cura pudoris,
  Sed mentis pietas auget utrumque bonum.

LXXVIII.

Magnum peccatum est amor immoderatus habendi
  Et plusquam vitæ sufficiat, cupiens;
Nam quod nos vestit, quod pascit cura salutis,
  Si vanis sit mens libera, non onerat:
Si qua ergo superant, quorum non indiget usus,
  Debilibus prosint, atque juvent inopes.
Quisquis enim cupide non expandenda recondit,
  Quæ nulli tribuit, pauperibus rapuit.

LXXIX.

Terrenis opibus cum dives gaudet iniquus,
  Veris se miserum nescit egere bonis;
Nam quid erit, quod non momento temporis uno
  Perdere mundana conditione queat:
Cum licet adversis cessantibus omnia parcant,
  Lege tamen mortis sit faciendus inops.
At bona justorum nullis obnoxia damnis;
  Hostes, furta, ignes, et mare non metuunt:
Indemnis servat proprium sapientia censum,
  Nec perdunt meritum, paxque, fidesque suum;
Omnis virtutum semper substantia salva est,
  Invitis Christi munera nemo rapit.

LXXX.

Dignus laude quidem est vitam sine crimine ducens
  Et quæcunque sibi sint nocitura cavens;

Sed non hoc pietas contenta est limite claudi,
Nec justis, vetitis abstinuisse, sat est.
Major cura boni est fratrum relevare labores,
Et ferre optatum tristibus auxilium;
Pascere jejunos, nudos vestire, ligatos
Solvere, discordes conciliare sibi:
Et quæcunque homines miseri solatia quærunt,
Hoc ut possibile est, promere corde pio;
Ut recti vere cupidus, vereque benignus
Quæ mala sunt, fugiat, quæ bona sunt, faciat.

LXXXI.

Gaudet transgressor peccato impune potitus,
Si non infertur debita pœna reo;
Ceu nulla offendant hominum commissa tonantem,
Aut aliqua excelsi notitiam lateant:
Sed vetitorum avidis gravior tunc ira timenda est,
Cum sese removent verbera justitiæ:
Nam quid erit morbi, quod non dominabitur illi,
Cui supera auxilium jam medicina negat.

LXXXII.

Felices vere faciunt, semperque beatos
De vero, et summo gaudia nata bono;
Nam mundi ex opibus brevis, ac peritura voluptas
Edita perpetuæ semina mortis habet;
Non placeat vanis animum submittere rebus,
Pestiferisque avidam mentem onerare cibis:
Cor mundum, et sapiens fructu virtutis alatur,
Et Christi in nostro pectore regnet amor,
Quo semel impletus nunquam vacuabitur illo,
Æterna æterni flumina fontis erunt.

LXXXIII.

Ambitum mundi totum Deus implet, et ambit,
Nec præsens ulli desinit esse loco:
A quo longinquus multum, nimiumque remotus
Quisquis sinceræ luce caret fidei,
Cujus si radiis depulsa nocte nitescat,
Divino impletus lumine lumen erit.
Nou igitur terrarum orbis, non æquora ponti
Invia circuitu sunt obeunda vago,
Ut possit rerum dominator, et auctor adiri,
Quem templo in cordis mens pia semper habet,
A quo ut dissimilis terra in deserta recedit,
Sic vitæ merito proximus est similis.

LXXXIV.

Quamvis multa homini post vulnera prima supersint
Quæ vitam hanc faciant laudis habere decus;
Si tamen ingenio claro, et probitatis amori
Fons desit fidei subdita corda rigans,
Cunctarum frugum marcescit inutile germen,
Nec fruitur vero lumine falsus honor.
Ignoratus enim Deus, et non credita virtus,
Quæ vera ad summum provehit arte bonum.
Non sinit eniti regna ad cœlestia mentem
Obstructam vanis, occiduisque gravem,
Perque omnes calles errat sapientia mundi,
Et tenebris addit, quæ sine luce gerit.

LXXXV.

Non recto servat legalia sabbata cultu,
Qui pietatis opus credit in his vetitum;
Nulla dies actus hominum non damnat iniquos,

Omnia conveniunt tempora justitiæ.
Nec corrumpuntur virtutibus otia sancta,
Tantum a peccatis libera corda vacent.

LXXXVI.

Libertas nulla est major, meliorve potestas,
Quam servire Deo, cui bene servit amor.
Absque jugo posita est ditionis amica voluntas,
Quæ viget affectu, non gemit imperio.

LXXXVII.

Qua primum in morte est homo pulsus fraude maligni,
Hanc illi extremam bella peracta movent.
Sublimes ut cum palmas, clarasque coronas
Sumpserit, atque hostem subdiderit pedibus.
Virtuti propriæ velit assignare triumphum,
Non Domino, cujus munus, opusque fuit.
In quo uno semper superat, qui non superatur,
Quo dignante manu subdere, nemo cadit.
Ancipitis vitæ qui vis superare labores,
Dilige, quod semper verus amator habet.
Instant terrenis infesta pericula rebus.
Fervent pro damnis prælia, proque lucris.
Et nihil est inter carnalia vota quietum,
Nec pax sollicitis, nec modus est cupidis.
In solo est mens tuta Deo, quem linquere nolens,
Nunquam erit æterno non opulenta bono.

LXXXVIII.

Lingua assentatrix vitium peccantis acervat,
Et delectatum crimine, laude ligat.
Nulla sit ut lapso reparandæ cura salutis,

Blanditur sonti dum male suasus honor.
Libera sit potius vox correctoris amici,
Serpere nec fibris cæca venena sinat.
Nec credens medici verbis fallacibus æger
Noxia laudatæ vulnera pestis amet.

LXXXIX.

Si mundo moritur divino fonte renascens,
Fitque novus vita, qui sepelitur aqua.
Non sunt fraudati sacro baptismate Christi,
Fons quibus ipsa sui sanguinis unda fuit;
Et quidquid sacri fert mystica forma lavacri,
Id totum implevit gloria martyrii.

XC.

Magna quidem in multis est excellentia sanctis,
Quorum animas superi gratia roris alit;
Sed dum mens quædam patitur mala corporis ægri,
Et pugnam interius exteriora movent,
Nunquam ita perfecto capitur victoria bello,
Vera ut securus pace fruatur homo.
Inter discordes motus contagia serpunt:
Ipsaque virtutum gaudia vulnus habent,
Ut faciat cunctis longa experientia notum,
Non esse hoc plenam tempore justitiam;
Ni Dominus miserando lavet delicta suorum,
Et dans virtutum munera, det veniam.

XCI.

Divinorum operum secretas noscere causas
Humanis non est possibile ingeniis;
Nec nullo tamen intuitu speculatur operta,
Qui multa ut lateant, scit placuisse Deo.

In quo mens imbuta fide simul omnia discit,
Perque operum speciem suscipit artificem;
Fingentem rebus formas, loca, tempora, motus,
Mensuris nostris, ponderibusque suis;
Scrutari nec cura procax obstrusa laboret,
Cui cuncta in Christo nosce, et habere datur.

XCII.

Ut morbo oppressis præstanda est cura medendi,
Donec in ægroto corpore vita manet;
Sic pravis multa et vitiorum mole gravatis,
Sanctarum pietas est adhibenda precum:
Ut dum possibile est mutari corda malorum,
Horrescat noctis devia lucis amor,
Conversisque novam mentem det gratia Christi,
Qua fiunt homines justificante boni.

XCIII.

Dum non perturbant animum discrimina mundi,
Dumque diem pacis præmia nulla premunt,
Exercere fidem divinis convenit armis,
Consilioque omnes anticipare minas.
Tranquillam, et curis vacuam sapientia mentem
Imbuet, et placidi pectoris hospes erit;
Nam quod non fuerit conceptum corde quieto,
Acquiri in sævo turbine non poterit.

XCIV.

Omne bonum mundo concretum, et tempore partum,
Quacunque amitti conditione potest;
Et quamvis damnis vigilanter cura resistit,
Sæpe tamen propriis dispoliatur homo:
At bona quæ vere bona sunt, nec fine tenentur,

Semper habet quisquis semper habere cupit;
Nec vim ferre potest Christo subnixa voluntas,
In quo persistens omnia vincit amor.

XCV.

Inter mundanæ mala conflictantia vitæ
Sæpe quidem Domini corripitur populus.
Qui tempestatum varia sub clade laborant,
Noscant se justi ferre flagella Dei,
Atque ipsum toto gemitu, planctuque precentur,
Ut qua scit miseris auxilietur ope:
Non et enim proprio arbitrio curabitur æger,
Nec vero leges ipse dabit medico.
Morbida rimetur penetralia dextra salutis,
Et depressa gravi viscera peste lavet.
Absque dolore quidem nequeunt mala sueta repelli,
Sed quod læserunt dulcia, amara movent.
Pœniteat morum, et vitiis virtute fugatis,
Regnum peccati respuat aula Dei.
Ad veniam tendunt justi pia verbera regis;
Ira brevis rectis gaudia longa dabit.
Nunquam bella bonis, nunquam discrimina desunt,
Et cum quo certet, mens pia semper habet;
Quæ carnem oblectant sancto sunt noxia cordi,
Contra animi legem prælia corpus habet:
Pulsant exterius diversis motibus hostes,
Intus civile est, et sociale malum.
Ut possit mundi illecebris, vitiisque resisti;
Vis est corporei mortificanda hominis:
Sed quæ mens recto famulam sub jure tenebit,
Edomitæ ut regnet carnis in officiis,

Excelso nisi quæ seruit bene subdita regi,
Unde est facta volens fiat ut inde valens.

XCVI.

Per verbum omnipotens Deus omnia condidit unus,
A quo natura est nulla creata mali,
Et quod non fecit dives sapientia verbi,
Non habet in rerum conditione locum.
Nulla igitur vitiis substantia, nullaque vita est,
Quæ vegetet corpus, materiamque suam,
Sed cum libertas discedit ab ordine recto,
Nec servant proprium, quæ bona sunt, modulum,
In culpa, et vitio est vagus in contraria motus,
Fitque malum veram deseruisse viam,
In quam si toto properet quis corde reverti,
Nullus neglecti limitis error erit,
Totaque debenti peccati pœna peribit,
Condita in integrum restituente Deo.

XCVII.

Cum Deus effectum precibus non præstat iniquis,
Multum concedit, quæ nocitura negat
Errantes voto non vult delinquere facto,
Iratus sineret, quod prohibet placidus;
Discat felici supplex gaudere repulsa,
Incipiatque animo pellere, quod voluit:
Parcentemque Deum noscat sibi, cum ruiturus
Non exaudiri, ne rueret, meruit.

XCVIII.

Judicium humanum, quod falli sæpe necesse est,
Non semper recipit regula justitiæ:
At Domini in cunctis æqua est, veraxque potestas,

Aspectum cujus nulla remota latent.
Talis laudetur judex, timeatur, ametur,
Qui vere justus permanet, atque bonus,
Adversos revocans, conversis cuncta remittens,
Atque malis veniam dando, bonos faciens.
Non ergo audacter mens veri nescia culpet,
Quod placuit summi judicis arbitrio,
Sed subdat sese justo ignorantia regi,
Qui nunquam, quæ sunt non bona, velle potest.

XCIX.

Nemo suæ mentis motus non æstimat æquos,
Quodque volunt homines, se bene velle putant.
Unde animus celeri pace est revocandus ab ira,
Ne robur sævis tempora dent odiis:
Offensas sibimet parcentia corda remittant:
Nam nemo est, qui non indigeat venia,
Quam nostri memores mundi inter vana vicissim,
Omnibus in causis et damus, et petimus.

C.

Cultor justitiæ, divinæ pacis amator,
Quem vocat ad summum vita beata bonum;
Scandere constanter dextros enitere calles,
Despiciens levæ noxia plana viæ.
Totius est duros mundi tolerare labores,
Infestique hostis prælia sæva pati.
Quam victum officiis animum submittere blandis,
Captaque servili subdere colla jugo.
Tempore in occiduo non longi est usus honoris,
Et celeri lapsu gaudia falsa fluunt.
Finem igitur proprii sapiens speculabitur ævi,

Et via, qua currit, quo ferat, aspiciet;
Nam mundo innexis pars est cum principe mundi,
At servis Christi gloria Christus erit.

CI.

Corporeos inter sensus, moribundaque membra
Multa animus patitur carnis ab hospitio,
Quæ vitæ de qua vivit contraria quærens,
Vult legem mentis solvere lege sua:
Sed prudens præsul famulam frenare rebellem
Æterni regis discat ab imperio,
Et verum accipiens supero de lumine lumen,
Noctem peccati cordis ab æde fuget:
Nam quia cuncta Deus bona condidit, ipsaque nostri
Exsilii regio est pulchra decore suo.
Auditus, visus, contactus, gustus, odorque
Præberi gaudent undique, quod placeat,
Fitque nocens homini præsentis temporis usus,
Si captum blandis inferiora ligant.
Mens igitur sapiens superas enitere ad arces,
Et summis fieri suesce beata bonis.
Delicias jam nunc promissi concipe regni.
Virtute, atque fide, quod cupis, esse tene;
Neve ad spem dubiam frustra te currere credas,
Naturæ in Christo prospice liba tuæ,
A quo suspectum si te non ambigis esse,
Totus homo in capitis corpore semper eris:
Tantum ut jussa velis nutu observare docentis,
Qui, quod ait verbo, prævenit auxilio.

CII.

In deitate gradus mensura, et tempora non sunt,

Et, quod idem est, majus non habet, atque minus.
Corporeæ longe moles, formæque recedant,
Virtus summa caret finibus, et spatiis.
Quod pater, hoc simul est verbum patris, hoc utriusque
Spiritus, hic Deus est unus, et una fides;
Per quam verorum spes non incerta bonorum
Sublimem ignoto scandit amore viam,
Et prægustata superi dulcedine roris
Doctrinis pasci gaudet apostolicis.
Indignas quisquis non vis incurrere causas,
Innecti vanis, occiduisque cave;
Mortalis vitæ brevitas non multa recurrit,
Paucorum exigui temporis usus eget.

CIII.

Esse volens, gaudere optans, scire abdita quærens,
Ut te non teneant ultima, summa pete,
Delectare Deo rege, in cœlestibus esto,
Et quæ spe sequeris, credita, amore tene;
Nulla in te maneant hominis vestigia primi,
Nec formam veteris gestet imago novi;
Exsulta agnoscens, te verbi in carne renatum,
Cujus si pars es, pars tua Christus erit,
Qui, ne damnandi legeres mala gaudia mundi,
Promissum ad regnum se tibi fecit iter.
Cum pater in verbo sit semper, et in patre verbum
Sitque unus verbi spiritus, atque patris,
Sic de personis tribus est tibi non dubitandum,
Unum, ut docta fides, confiteare Deum:
Corde patris genitum creat, et regit omnia verbum
Nec tamen est aliquid, quod sine patre gerat

Unus enim amborum motus, ratio una volendi,
Par virtus, idem spiritus, unus amor.

CIV.

Sic magnus Deus est, de se valet, et manet in se,
Cui summum, et proprium est, semper id esse, quod est;
Splendet enim verum vero de lumine lumen,
Ut genitum agnoscens noverit ingenitum,
Una trium deitas, una est essentia, ab uno,
Idem est et verbi spiritus atque patris,
Nullum opus abjunctum, nulla est non æqua potestas,
In cunctis unum sunt tria principium.

CV.

Cum pia mens in laude Dei superata labores,
Gaude, quod tantum te bene vincit opus,
Teque aliquid superi cognosce hausisse vigoris,
Si tibi non satis est, quod cupis, atque sapis:
Quære bonum sine fine, bono et persiste reperto
Quærere, non habeant talia vota modum:
Nam qui se nullo jam munere credit egere,
Crescere non cupiens, perdit adepta tepens.

CVI.

Age jam precor mearum comes irremota rerum,
Trepidam, brevemque vitam Domino Deo dicemus.
Celeri vides rotatu dies rapidos meare,
Fragilisque membra minui, mundi perire, labi;
Fugit omne, quod tenemus, neque fluxa habent recursum,
Cupidas vagasque mentes spe trahunt inani:
Ubi nunc imago rerum atque ubi sunt opes potentum?

Quibus occupare captas animas fuit voluntas.

CVII.

Qui centum quondam terram vertebat aratris
  Æstuat, ut geminos possit habere boves
Vectus magnificas carpentis sæpe per urbes,
  Rus vacuum fessis æger adit pedibus:
Ille decem celsis sulcans maria alta carinis,
  Nunc lembum exiguum scandit, et ipse regit.
Non idem status est agris, non urbibus ullis,
  Omniaque in finem præcipitata ruunt;
Ferro, peste, fame, vinclis, algore, calore,
  Mille modis miseros mors rapit una homines;
Undique bella fremunt, omnis furor hæsitat armis,
  Incumbunt reges regibus innumeris;
Impia confuso sævit discordia mundo,
  Pax abiit terris, ultima quæque vides:
Et si concluso superessent tempora seclo,
  Ut posset longos mundus habere dies,
Nos tamen occasum nostrum observare deceret,
  Et finem vitæ quemque videre suæ.
Nam mihi quid prodest, quam longo flumina cursu
  Semper in exhaustis prona feruntur aquis,
Multaque annosæ vicerunt secula silvæ,
  Quodque suis durant florea rura locis:
Ista manent, nostri sed non mansere parentes,
  Exigui vitam temporis hospes ago.
Non ergo hic sumus nec quidquam in secula nati.
  Quæ pereunt nobis, et quibus occidimus;
Sed vitam æternam vita mereamur in ista,
  Ut subeat requies longa labore brevi:

Et tamen iste labor sit forte rebellibus asper,
  Ac rigidas leges effera corda putent :
Non tamen hæc gravis est mansueto sarcina dorso,
  Nec lædit blandum mitia colla jugum.

CVIII.

Tota mente Deus, tota vi cordis amari
  Præcipitur, vigeat cura secunda hominis,
Quod sibi quis nolit fieri non inferat ulli,
  Vindictam læsus nesciet exigere.
Contentus modicis vitet sublimis haberi,
  Sperni non timeat, spernere non libeat.
Parcus, vera loquens, et mente, et corpore castus.
  Insontem vitam pacis amator agat,
Et proprio pascat loculo, quos norit egentes;
  Non sua non cupiat, quæ sua sunt tribuat :
Quid rogo mandatis durum censetur in istis?
  Aut quid erit, quod non possit obire fides.
Qui credunt sacros verum cecinisse Prophetas,
  Et qui non dubitant verba manere Dei,
Quique Redemptorem passum Crucis ultima morte
  In toto excelsi patris honore vident,
Quique ipsum multa cum majestate tremendum
  Exspectant pingui lampade pervigiles;
Hiis sordent terrena, patent cœlestia, nec se
  Captivos servos temporis hujus agunt :
Non illos fallax cepit sapientia mundi,
  Nec curas steriles inseruere polis.
Imperat et fasces indocti munera vulgi,
  Quasque orbis scelerum semina fecit opes.
Calcarunt sancta cœlum ambitione potentes

Suffragiis Christi, et plausibus angelicis.
Nec labor hos durus vincit, nec blanda voluptas,
Quærere nil cupiunt, perdere nil metuunt.
Omnia non Christi, qui Christi est odit in illo,
Se statuens in se, qui gerere optat eum.
Ille Deus rerum cœli, terræque creator
Me propter sacra virgine natus homo est;
Flagris dorsa, alapis maxillas, ora salivis
Præbuit, et figi se Cruce non renuit.
Non, ut tanta Deo quidquid patientia ferret,
Cujus nec crescunt, nec minuuntur opes,
Sed quod erat victum in me ut superaret in illo,
Factus sum Christi corporis, ille mei:
Me gessit moriens, me victa morte resurgens,
Et secum ad patrem me super astra tulit.
Quidnam igitur vivens Prosper tolerare recusem,
Aut quid erit, quod me separet a Domino:
Ignem adhibe, rimare manu mea viscera tortor,
Effugient pœnas membra soluta tuas;
Carcere si cæco claudar, nectarque catenis,
Liber in excessu mentis adibo Deum;
Si mucrone paret cervicem abscindere lictor,
Impavidum me inveniet, mors cita pœna brevis:
Non metuo exsilium, mundus domus omnibus una est,
Sperno famem, Domini sit mihi sermo cibus.
Nec tamen ista mihi de me fiducia surgit;
Tu das Christe loqui, tuque pati tribuis;
In nobis nihil audemus, sed fidimus in te,
Quos pugnare jubes, et superare facis.
Spes igitur mea sola Deus, quem credere vita est,

Qui patriæ civem me dedit alterius:
Sorte patrum occiduum jussus transcurrere mundum.
Sub Christi sacris advena miles eo;
Nec dubius me jure brevi terrena tenere,
Sic utar propriis, ceu mea non mea sint.
Non mirabor opes, nullos sectabor honores,
Pauperiem Christo divite non metuam:
Qua stetero adversis, hac utar mente secundis;
Nec mala me vincent, nec bona me capient:
Semper agam grates Christo, dabo semper honores,
Laus Domini vigeat semper in ore meo.
Tu modo fida comes mecum isti accingere pugnæ,
Quam Deus infirmo prebuit auxilium;
Sollicita elatum cohibe, solare dolentem,
Exemplum vitæ simus uterque piæ;
Custos esto tui custodis, mutua redde;
Erige labentem, surge levantis ope;
Ut caro non eadem, sed tantum mens quoque nobis
Una sit, atque duos spiritus unus alat.

ARATOR.

ARATORIS

APOSTOLICÆ HISTORIÆ

PRÆFATIO.

Qui meriti florem maturis sensibus ortum,
  Nominis ore tui jam Floriane tenes,
Nam primævus adhuc senibus documenta dedisti,
  E quibus in cœlum vita pararet iter,
Ad carmen concurre meum, pedibusque labanti
  Porrige de placido sæpe favore manum.
Jejuno sermone quidem, sed pinguia gesta
  Scripsimus, ac pelagi pondere gutta fluit.
Inter grandiloquos per mille volumina libros
  Maxima cum teneas, et breviora lege;
Naturæque modo, quam rerum condidit auctor,
  Concordent studiis celsa vel ima tuis.
Quæ genuit tigres, quæ nutrit terra leones,
  Formicis, apibus præbuit ipsa sinum;
Et si respicias dispenset ut omnia rector,
  Ingenium mites, vim meruere truces;
Ipsaque continuum virtus infracta laborem

Deserit, et varias quærit habere vices.
Loricam solitus membris imponere miles,
Gymnasii gaudet nudus adire locum;
Et qui ferratas acies, atque agmina vincunt,
Imbelles feriunt per sua tela feras:
Ergo gradum retinens, et prisca volumina linquens
Cede dies operi, quod pia causa juvat.

ALIA PRÆFATIO.

Mœnibus undosis bellorum incendia cernens
Pars ego tunc populi tela paventis eram.
Publica libertas Vigili sanctissime Papa
Advenis incluso solvere vincla gregi.
De gladiis rapiuntur oves pastore ministro,
Inque humeris ferimurte revocante piis.
Corporeum satis est sic evasisse periclum,
At mihi plus animæ nascitur inde salus.
Ecclesiam subeo dimissa naufragus aula;
Perfida mundani desero vela freti;
Transferor ad niveas Petri sine turbine caulas,
Et fruor optati jam statione soli;
Littoris ille sinus ad carbasa nostra paravit,
Fluctibus in mediis cui via sicca fuit.
Esse reus potero grates si reddere cessem,
Unius officio displicuere novem.
Sensibus ardor inest horum celebrare labores,
Quorum voce fides obtinet orbis iter.
Versibus ipse canam, quos Lucas rettulit actus,
Historiamque sequens carmina vera loquar;

Alternis reserabo modis quod littera pandit ,
  Et res si qua mihi mystica corde datur.
Metrica vis sacris non est incognita libris ,
  Nam psalmos lyrici composuere pedes ;
Hexametris constare sonis in origine linguæ
  Cantica Jeremiæ, Job quoque dicta ferunt.
Hoc tibi magne pater cum defero munus amoris ,
  Respice quod meritis debita solvo tuis.
Te duce Tyro legor , te dogmata disco magistro ,
  Si quid ab ore placet , laus monitoris erit.

ARATORIS

APOSTOLICÆ HISTORIÆ

LIBER PRIMUS.

Ut sceleris Judæa sui polluta cruore
Ausa nefas complevit opus, rerumque creator,
Hoc quod ab humanis sumpsit sine semine membris,
Humana pro stirpe dedit, dignatus ut ima
Tangeret inferni, non linquens ardua cœli,
Solvit ab æterna damnatas nocte tenebras
Ad manes ingressa dies; fugitiva relinquunt
Astra polum comitata Deum Cruce territa Christi:
Vult pariter natura pati, mortisque potestas
Se vincente perit, quæ pondere mersa triumphi
Plus rapiens, nil juris habet, divinaque virtus
Rursus membra ligans, animata cadavera movit.
Ad vitam monumenta patent, cineresque piorum
Natalem post busta novant, lux tertia surgit
Majestas cum carne redit, speciemque coruscam
Umbrarum de sede refert, ut ab exsule limo
Interclausa diu, patriæ repetatur origo.

Omnipotens parat ipse vias, et corpora secum
Post tumulos regnare jubet; moriente veneni
Semine florigero sua germina reddidit horto.
Jamque quaterdenis Dominus manifesta diebus,
Contulerat per signa fidem cernentibus illis,
Usque sub extremum diffuso in limite mundum,
Quos testes jubet esse suos miracula rerum
Non poterant celare Deum; documenta resurgens
Quæ sic certa daret quam manderet; corpora vitam
Hujus humana probant; cœlum petiturus, olivæ
Progreditur lustrare nemus, quia germine sacro
Luminis et pacis locus est vult inde reverti
Unde creaturam signata fronte micantem
Divinus commendat odor, cum desuper unctos
Abluvit interius Christi de nomine chrisma
Tollitur astrigerum rediturus victor in axem;
Et secum quod sumpsit habet; nova pompa triumphi.
Arva Deus petiit, homo sydera, quis datur illi
Ætherea de parte fragor? quantumque resultant
Cœlestes in laude chori? cum rector olympi
Evehit excelsis quidquid suscepit ab imis?
Ingrediensque polum carnis comitante tropæo,
Exuvias atri raptas de fauce profundi
Lucis in arte locat, terrenosque erigit artus,
Qua pietate capit; propter quem venerat, ivit.
Discipulos stupor altus agit, quibus ore corusco
Perspicui dixere viri; quæ cognita nobis
Et miranda sonant; nunc jam speculemur ovantes,
Imperiique modum per subdita jura probemus.
Virgine matre satus calcata morte resurgens

Cœli sceptra petens, his nuntciat acta ministris.
Nec cessant elementa suo servire tonanti,
Stella comes progressa magos, venientis honori
Militat, obsequio nubes famulatur euntis.
Angelicis igitur postquam est affatibus usa,
Liquit oliviferi veneranda cacumina montis
Ad messem prælecta manus, qui calle citato
Mœnia nota petunt, quo per sua sabbata mille
Passibus ire licet, qua tunc statione sedebat
Porta Maria Dei; genitrix intacta creantis,
A nato formata suo, mala criminis Evæ
Virgo fecunda fugat; nulla est injuria sexus.
Restituit quod prima tulit; non voce querelas
Excitet, aut gemitu mœrentia corda fatiget
Antiqua pro lege dolor, scelera ipsa, nefasque
Hac potius mercede placent; mundoque redempto
Sors melior de clade venit; persona ruinam
Non natura dedit; tunc femina feta periclum
Nunc tumuit paritura Deum, mortalia gignens
Et divina ferens, per quam mediator in orbem
Prodiit et veram portavit ad æthera carnem.
Primus apostolico parva de puppe vocatus
Agmine Petrus erat, quo piscatore solebat
Squamea turba capi, subito de littore visus,
Dum trahit, ipse trahi meruit; piscatio Christi
Discipulum dignata rapit, qui retia laxet
Humanum captura genus, quæ gesserat hamum
Ad clavem est translata manus, quique æquoris imi
Ardebat madidas ad littora vertere prædas,
Et spoliis implere ratem, melioribus undis

Nunc alia de parte levat, nec deserit artem
Per latices sua lucra sequens, cui tradidit agnus
Quas passus salvavit oves, totumque per orbem
Hoc auget pastore gregem; quo munere summus
Surgit et insinuans divina negotia coram
Sic venerandus ait, nostis quia proditor amens
Mercedem sceleris solvit sibi; tædia noxæ
Horruit ipse suæ stringens in gutture vocem
Exemplo cessante ream, qui parte necari
Promeruit, qua culpa fuit; crimenque retractans
Indicio tali permisit membra furori
Aeris in medio, communi ut poneret hosti
Debita pœna locum, cœlum terramque perosus
Inter utrumque perit, nullis condenda sepulcris
Viscera rupta cadunt, tenuesque elapsus in auras
Fugit ab orbe cinis; non hæc vacat ultio Judæ,
Quæ suprema negat, vindictaque mercis iniquæ
Sic placitura venit, nam cum modo rura parasset
Funeris ex pretio cum nomine sanguinis emptus
Cespes, in externas componens busta favillas
De tumulis fecundet humum, caret impius agri
Fertilitate sui, solusque excluditur arvis
Quæ monumenta ferunt, cujus tuba sæva cruentum
Est exorsa nefas, qui signifer oscula figens
Pacis ab indicio bellum lupus intulit agno.
Nunc opus est votis, quod verba prophetica clamant
Quem liceat supplere vices, tunc summa precantes
Constituere duos, Joseph cognomine justum,
Matthiamque Dei parvum; quod nomen ut aiunt
Hebræo sermone sonat; humilemque vocando

Comprobat; o quantum distant humana supernis
Judiciis, parvi merito transcenditur ille
Laude hominum, qui justus erat; duodena refulgent
Signa chori, terrisque jubar jaculatur olympi.
Hæc quoque lux operis quid præferat edere pangam.
Quattuor est laterum discretus partibus orbis
Trina fides vocat hunc, quo nomine fonte lavatur
Quattuor ergo simul repetentes ter, computat omnem
Quam duodenarius circumtulit ordo figuram.
Discipulisque piis, quibus hoc baptisma jubetur,
Mystica causa dedit numerum recreare priorem.
Spiritus ætherea descendens sanctus ab aula
Irradiat fulgore locum; quo stemma beatum
Ecclesiæ nascentis erat, quibus igne magistro
Imbuit ora calor, dictisque fluentibus exit
Linguarum populosa seges; non littera gessit
Officium, non ingenii stillavit ab ore
Vena, nec egregias signavit cera loquelas,
Sola fuit doctrina fides opulentaque verbi
Materies cœleste datum; nova vocis origo
Quæ numerosa venit, totoque ex orbe disertis
Sufficit una loqui; dudum vetus æquoris arca
Cum superasset aquas, turrim voluere maligni
In cœlum proferre suam, quibus impia corda
Sermonum secuere modos, sociisque superbis
Affectus cum voce perit; confusio linguæ
Consimili tunc gente fuit, nunc pluribus una est,
Ecclesiæ quoniam venientis imagine gaudet
Concordes habitura sonos, et pace modestis
Fit fecunda redux, humilisque recolligit ordo,

Quod tumidi sparsere viri. Res maxima cogit
Non reticere diu, quid sit quam spiritus almus
His datur in flamma, Jordanis ab amne columba.
Quod tunc rite canam, promissaque debita solvam
Si sua dona ferat? duo sunt hæc signa figuræ
Ut sit simplicitas; quam congrua diligit ales,
Quæ nec tarda gerat sine dogmatis igne tepores,
Sit pariter succensa fides; ibi destinat undis
Unanimes; hic ore jubet flagrare docentes:
Mentibus instat amor, sermonibus æstuat ardor:
Hos etiam musto typica ratione moveri,
Error verus ait; quos ebria fonte recenti
Complevit doctrina poli; nova vasa liquorem
Suscepere novum, nec corrumpuntur acerbo,
Quo veteres maduere lacus de vite bibentes
Quæ Christo cultore dedit convivia verbis.
Unde rubent quas vertit aquæ, tenuemque saporem
Legis in ecclesiæ fecit fervescere libris.
Tertia sydereis inclaruit hora loquelis;
Hunc numerum Deus unus habet, substantia simplex
Personis distincta tribus, quam plurima nobis
Instrumenta patent simul hoc et tempora monstrant.
Primus at ille Petrus, cui servit in æquore gressus
Retia jam cupiens hominum vibrare saluti,
Ut piscator ovans levet has de fonte catervas,
Rettulit æthereos populò mirante triumphos.
Venit ad occiduas carnaliter editus oras
Humana sub lege Deus, qui temporis expers
Principium de matre tulit; nec vile putavit
Majestate potens, terreni sumere formam

Corporis, atque opifex hominum pars esse, suoque
Nos pretio revocare sibi: post dona salutis,
Postque tot ereptos pulsis languoribus ægros,
Cum defleta etiam, perfunctaque corpora luci
Redderet, et superas iterum concederet auras,
Se quoque permittens fusus genitricis ab alvo
Carnis jura pati, vitam ne perderet orbis
Maluit ipse mori, sed quod de virgine feta
Nascitur illud obit: ligno suspenditur insons:
Fit ligni vacuatur onus, sic vulnus iniqui
Et medicina Dei: pavidis resplenduit umbris
Pallida regna petens, propria quem luce coruscum
Non potuit fuscare chaos; fugere dolores
Infernus tunc esse timet, nullumque coercens
In se pœna redit, nova tortor ad otia languet:
Tartara mœsta gemunt, quia vincula cuncta quiescunt.
Mors ibi quid faceret? quo vitæ portitor ibat?
Hunc Deus omnipotens, cui nunquam terminus instat,
Post sacra busta levat radiantem in corpore Jesum
Vidimus, et propriis reducem conspeximus astris.
Sed fugite o miseri funesta piacula gentis,
Cui veniente Deo veteres avertere noxas
Addita sacrilegæ creverunt vulnera culpæ!
Cur natos Judæa tuos per vota cruoris,
Cur parricida trahis? quid Christi sanguine fuso
Hos tecum damnata premis? nec dumque creatos
Festinas proferre reos? homicidaque lingua
Naturæ percussit iter, cui serior ortus
Quam facinus discrimen habet, scelerumque propago
De natale perit; quæ saucia voce parentum

In lucem punita venit, si solvere cura est
Fecundi crementa mali felicibus undis
Exstinctum reparare genus, spes una remittit
Debita supplicii, post crimina velle renasci.
Multiplicat jam pastor oves; tria millia vulgi
Non minus illa dies in flumine diluit agni:
Hic primus post jussa Dei baptismatis usus
Exoritur data jura probans; nam trina potestas
Colligit hanc prolem; numerum partita per æquum
Perfectum est quod mille sonat: sic denique seclis
Ponimus ætates cum tempora dicimus orbis.
Res perfecta semel ter jungitur, et facit agmen
Mystica vis numeri; gregis est pia forma novelli;
   Funditur interea per cunctos gratia sensus;
Divitiasque metit locuples in amore voluntas:
Utque pii coeant in fœdera pignore certo,
Res laxant, et corda ligant, sine limite census
Affectu consorte licet nova jura beatis
Munifica fluxere manu: quibus ubere læto
Divisæ geminantur opes, et crescit in omnes,
Quod faciunt cummune sibi, totumque capessunt
Quod proprium nihil esse nolunt, quo fonte cucurrit
Hæc probitas, quæve illa fuit bonitatis origo,
Hinc canere incipiam: sacris bis spiritus almus
Discipulis concessus erat; spiratur in illos
A Christo surgente semel, post missus ab astris
Nescia verba viris facundus detulit ignis.
Ne quid inexpertum studio meditemur inani,
Spiritus alme veni; sine te non diceris unquam;
Munera da linguæ, qui das in munere linguas;

Hæc iterata reor; confirmant præmia justos,
Ut duo jussa colant tabulis conscripta duabus.
Dilige mente Deum ferventi plenus amore:
Rursus ait carus tibi sit quoque proximus, ut tu:
Hoc pactum jus omne tenet, quod spiritus almus
Bis veniens per corda creat semel hunc dedit auctor
In terris, ut ametur homo, post missus ab astris,
Ut flagrent humana Deum, dilectio prima est
Quæ Dominum vehementer amet; cui deinde secunda est,
Quæ sociat mortale genus: tamen incipit ante
Posterior numero; sequitur comitata secundam
Quæ prior est: sic forma docet; nisi diligis inquit
Cernere quem potis es, fratrem, quem cernere non es,
Nescis amare Deum; concordia nexa calescat:
Ergo pari voto, Dominumque in pectore condat
Fratris amor; geminæ sibi sit substantia causæ.
Claudus erat cui prima dies exordia vitæ
Membrorum cum strage dedit languore coævo
Octo lustra gerens; ad quem comitante Joanne
Respice Petrus ait, votum spes lusit avarum:
Cumque negat meliora parat, quam sæpe gravatos
Desperata juvant, et semine nata sinistro
Prosperitas, cœlans mœstis confinia læta
Principiis ad vota venit, gaudebit egenus
Plus vacua meruisse manu, qui munera poscens
Est datus ipse sibi: nulla hic mihi vena metalli
Respondit, quæ fundat opes, egò ditior ægro
Pauper ero, progressus ubi de voce jubentis
Exuit medicina potens, atque hospite gressu

Cum vixere pedes, cunabula longa relinquens
Calcavit veteranus humum, planctisque novellis
Materies se prisca movet, cui præpete cursu
Protulit incessus quidquid non edidit ortus.
Stat facti manifesta fides, sed et altera nobis
Res aperit quod causa gerit; gens nomen ab illo
Israel dicta tenet, qui bella reliquerat æger
Conatus certare Deo, tulit ipse figuram,
Corporis ante gravem, quam post in vulnere mentis
Israel claudus habet, qui per sua crimina labens
Corde magis quam carne fluit, spatiisque sub ipsis
Quadraginta annos Ægypti fine remotus
Claudicat Ægyptum cupiens, idolaque quærens,
Ponitur ad portam Speciosam debilis, ultra
Non valet ire miser, nec limina tangere portæ
Culpa negavit iter, qui sunt qui pectore claudum
Israel ferre solent, portæque adjungere certant,
Quæ Speciosa suo prodit de nomine Jesum?
Isaias Daniel, similes quique ore prophetæ
Obscuris manifesta canunt miracula Christi:
Porta ego sum vobis, qui per me intrare recusat,
Fur erit ille nocens; possunt portare prophetæ
Ad portam cernenda magis, quam visa loquentes,
In templum non ferre queunt: hæc janua Petro
Credita, qui Christum confessus cognita monstrat,
Non ventura sonat, vetus o sine fine jacebis
Ni Petrum jam claude roges, qui noxia pellens
Auri vitat onus! rerum cui censuit aucthor
Non peram gestare sibi: pete dona salutis,
Non fragiles secteris opes, quas spernere debet

Cum Domino, qui dives erit post limina templi
Porticus hunc Salamonis habet, qui jure vocatur
Pacificus regnante fide, qui semper in orbe
Pacificus nisi Christus erit? hic protegit omnem
Qui Petro ductore placet, quo præsule surgit.
Agmine jam niveo per millia quinque virorum
Ecclesiæ crescebat apex, arcere laborat,
Hunc Judæa coli, cujus de munere fluxit,
Quod virtus operata dedit; sed linquere Christum
Petri nescit amor, non hunc reticebimus: inquit,
Quo remeat præstante salus, qui jure creantis
Infectum supplevit opus, solidumque decorem
Pars reparat, qua jussa novant: huic membra redemptor
Fert animus patrare nefas, sanctisque verendis
Sacrilegas inferre neces: o semper iniqui!
Dona vident, et bella movent, sed cœpta relinquunt,
Ne violent, quos turba fovet, quibus indice claudo
Testis erat meriti cumque hoc sua corda levabant;
Nam non parva dedit populo miracula gressus
Quem rudis atque senex nullis jam legibus ævi
Vernula sumpsit humi, cum quo stupet ipsa moveri
Quæ jacuit natura diu, firmataque nuper
Incessu proprio nova jam vestigia signat
Quæ fuerant aliena sibi: tamen improba proles
Sævit adhuc, farique vetat quod gaudia clamant.
Quid toties Judæa cadis? surrectio Christi
Ut furto celetur emis: sed inania demens
A somno documenta petis livore caduco
Quæ sentis virtute geri, jus fraude negari.

Infernum Dominus cum destructurus adiret,
Detulit inde suam spoliato funere carnem
Victor ab arce Crucis radiantia signa ministrat;
Sol ruit in tenebras; tu pectore nigra rebellas:
Arva tremunt concussa locis; tu fixior hæres:
Saxa crepant, tu dura manes: jam scissio veli
Quæ latuere diu nudavit mystica templi:
Lux tua nos adiit, tecum nox sola remansit:
Mors sine fine premit, cui nunquam vita resurgit.
Planta vetus sociare novis, et condere libris,
Ne pereas viduata cibis, sine munere quorum
Arida ficus eris; nullo quia tempore fructum
Ad Christi vis ferre manum, neque cernere quantum
Floruit insertus faciens oleaster olivas:
Plenaque pergentes de spinis pululat uva.
Imminet exhaustis radicibus ira securis,
Ut succisa ruas, ni jam translata virescas.

Postquam mira salus de corpore nata vetusto
Discipulis audita liquet, gentisque superbæ
Cognovere minas celebrant hiis vocibus hymnum,
Tu qui cuncta Deus propriis animata figuris
Artifici sermone facis, quique edita cernens
Ante vides, rerumque creas per nomina formas;
Cum fierent; vox semen erat: nec distulit ortus
Imperium natura sequens, mox spiritus oris,
Æthera curvavit; sola nexuit; æquora fudit;
Materiemque operis sola est largita voluntas:
Ne deforme jugum similis portaret imago,
Tegmine servili: latuit regnator olympi;
Ut sua gentiles implerent cœpta furores

Quis dolus Herodis cum tristia bella moveret
Infantum mandata neci? quos ubere raptos
Vulnera suscipiunt parvis errantia membris
Vix habitura locum? sævoque jubente tyranno
Nasci pœna fuit, cujus tulit impetus ævum,
Quod nescivit agi, qui perdidit: o nova mortis
Conditio, solo vitam pro fine subire!
Et cum prima dies, atque ultima sit simul una,
Posse magis quam scire mori! quis lumine sicco,
Aut gemitu cessante queat memorare Pilati,
Quod deflent elementa nefas? quo judice Christus
Subdere pro mundi voluit sua membra periclis,
Ut carnale malum caro solveret, et ferus hostis,
Cujus ab ingenio fluxerunt tela veneni,
Perderet antiqui lacrymosa piacula belli,
Materia superante pari; ne criminis ultra
Per sobolem prodiret onus, damnatio justi
Libertas est facta reis: da semina verbi
Per tua dona coli, signisque novalibus usa
Colligat ista manus te fructificante maniplos;
De quibus ipse tui componas horrea cœli,
Triticeamque fidem lolio pereunte corones,
Quam sancti fulsere pedes, concurrere visa est
Pondere terra gravi; moxque almus spiritus illis
Splenduit, et linguis facundia crevit abortis;
Auditæ valuere preces: humana propago,
Materies terrena sumus; limumque parentem
Nomine prodit homo; vis flexit, et impulit arva
Vocis apostolicæ, quæ de tellure creatos
Fecit habere fidem: sed quid magis? exsilit unus,

Concutiturque locus; cecinit scriptura decoros
Pacem ferre pedes. Horum sub gressibus ergo
Læta movetur humus, quibus est sermone magistri
Pax commissa piis, quæ deportata per illos,
Exiit in cunctas veloci munere terras.
Ecce tot egregiis unum cor esse catervis
Incipit, atque animam populus nanciscitur unam.
Quis dubitare queat mysteria dogmatis, unum
Personas tres esse Deum? cum millia vulgi
Conveniant sub mente pari, numenque frequentis
Sint animi velut unus homo; quæ turba perennem
Portatura Crucem, dominumque secuta fidelem
Sprevit agros; habitura polos; hæc nempe facultas
Fortior est de parte magis conquirere totum,
Atque caducorum pensare manentia causis,
Et quæstum per damna sequi: non prodige rerum
Venditor ista facis, sed qui tua jura tenere
Ambitiose cupis, parvoque in tempore linquis,
Quod semper vis esse tuum, sic spargere rura,
Nolle carere fuit. quid enim substantia prodest,
Quæ servata perit? quam syderis arce locatam
Commodius qui cedit, habet; pete creditor inde
Usuræ majoris opem, gazasque reconde
Quo nequeant adversa pati: non deterit ullus
Perpetuas ibi casus opes sine fine tenebis,
Quod Dominum debere facis. Nunc aspice partes
Lector docte pias, et tecum mente sagaci
Volve quid esse putes: rutili quia pompa metalli
Ponitur ante pedes sacris non tradita dextris
Destitui debere probant, quod tangere vitant

Calcandumque docent quod subdunt gressibus aurum,
De quo terrenæ veniunt ad pectora curæ
Consimili jactatur humo, quo sistat avare
Mens tua disce loco; quæ tu custodis anhelus,
Quod statione premis, quod cernere sæpius ardes,
Cujus in amplexus per somnia cuncta recurris,
Horrescunt tractare pii: nec tunc quoque gestant
Cum bona facta parant, quantum speculantur in illo
Stare nefas, et dona gerens contemnitur aurum.
Decidit infelix Ananias vulnere culpæ,
Fur census sub fraude sui; cadit impia conjunx
Supplicio percussa pari, quia crimine ab uno
Fit commune nefas quoties scelus ante peractum
Consensum facit esse suum. Nam mentis avaræ
Vindex illa fuit sententia. Denique quando
Auri cessat amor, qui pectora semper adurit?
Quo capitur mortale genus, qua pullulat omne
De radice malum cujus violentius ardet
Ambitio crescente modo; stimulantque rapinis
Addita lucra fame: sedque mutata voluntas
Falsi crimen habet cumque est jam cautio voti
Stare decet nec velle prius violare sequenti
Jus proprium retinere magisquam demere fas est
Omnibus exemplum sanxit vindicta duorum
Ne quis dona vocet, quæ sponsio debita poscit.
Respice vera fides, ac dogmate clara beati
Verba require Petri: quisnam te fallere suasit?
Conclusitque probans homines haud talia fando
Deludis mentite Deo, quæ damnat iniquos,
Ædificat doctrina piosque; spiritus almus

Sit Deus ex multis plena instructio libris est;
Et tamen hinc capit arma fides, quo tenditis ultra,
Quis dubitet quod Petrus ait? quod jure venitis
Ad latices, hoc state loco: satis hostibus obstat
Ecclesiæ, quæ forma sonat divisor amare
Judicium de fine time, qui criminis auctor,
Errorisque tui est, fusa ruit Arrius alvo
Infelix plus mente cadens; lethumque peremptus
Cum Juda commune tulit; qui gutture pendens
Visceribus vacuatus obit, nec pœna sequestrat
Quos par culpa ligat; qui majestatis honori
Vulnus ab ore parant: hic prodidit, ille diremit
Sacrilega de voce rei. Deus arbiter orbis
Personis tribus est; in quo simul una potestas
Abstulit his species operum bonitate creatas,
Qui fabricatoris non inspexere decorem,
Errantesque putant, qui fecerit omnia factum.
Fama ciet populos ad mystica signa salutis
E cunctis properare locis, et pestibus ægros
In lectis deferre suis, quos urbis in illa
Parte locant, qua sacra tenet vestigia Petrus.
O mihi si cursus facundior ora moveret,
Centenosque daret vox ferrea lingua diserta
Hac in laude sonos, quantum speciosior esset
Ambitus eloquii variis aperire figuris
Singula, nec modicis includere grandia verbis!
Quæ fuerit rerum facies, cum tempore parvo
Morborum cecidere greges, et fluxit ad omnes
Improvisa salus, quam corpore fusa sereno
Luminis umbra creat, dubiaque a morte remoti

Erexere caput: sed non deprehendere visu
Auctorem potuere boni, quibus ardua virtus
Occultat quam præstat opem, resque ante paratur,
Quam spes ulla foret, furtivaque præmia vitæ
Dat medicina latens, et anheli corporis æstus
Ignaro languente rapit, quam nescit adesse,
Qui venisse probat, crescitque potentia facti
Agnitione carens, cujus splendoris imago
Omnia pervolitans, tactuque nocentia mundans
Stat donis fugitiva oculis et munere plenos
Linquit ubique toros, hostesque a sensibus atros
Projicit, ac nebulis larvalibus exuit artus,
I citus et curas hominum de calle frequentans
Excute Petre gradus; tecum medicina salutis
Ambulat; adde viam; spes est ad gaudia velox
In pedibus non esse moram; tua semita vita est
Si properas jam nemo jacet; tu motibus umbræ
Corpora cuncta levas, atque hoc simul inscia voti
Sumit turba tacens: quæ cum rogat accipit unus
Quærite quos agitat tanti reverentia facti
Quid typii res ista ferat; librisque volutis
Noscite quæ soli est concessa gloria Petro,
Quæve sub hac specie lateant documenta videte,
Quæ tentabo loquens, et si datur ista facultas
Aridus ut magnas impellat rivulus undas.
Rursus ab antiquis veniunt miracula causis
Firmior in cunctis capitur substantia rerum
Corpore sensa suo; sequiturque a corpore certo
Funditur, et solidam non terminat umbra figuram:
Sed tamen ipsa sibi præcedere corpora signat.

Ecclesiam terris colimus, quam prodere nulli
Æthereum dubitasse licet, sed verior illa est;
Quæ super astra manens cœlestis et alta vocatur
Hæc in transcursu dubii quæ cernitur orbis,
Ad vitæ datur esse viam, spatioque sub isto
Destinat æternæ quos colligit, atque probatis.
Hinc, iter est excelsa sequi regit agmen utrumque
Petrus, et hinc ductis sortis dat sydera turmis.
Ut patuit per verba Dei, quod solveris inquit
Quodque ligas terris, sic vinctum sive solutum
Æthere perdurat; cuncta hæc quam cernimus arvis
Ergo figura foret; firma est qua nubila gestant:
Petrus utrumque regens, ibi corpus et hic parat umbram.
Ut quos hic vitiis, noxisque resolverit ægros
Innocui ducantur ei, quæ permanet astris
Susceptura pias hac emundante catervas.
Interea templi zelo mordente priores
Ecclesiam crevisse dolent, animæque colonos
Ne spargant quod corde metant, in sede relegant
Carceris, ut desint nascenti sarcula messi;
Angelus adveniens tenebrosa volumina noctis
Reppulit, et subito micuerunt antra sereno;
Erumpensque dies alieno tempore sanctos
Ad templum facit ire viros, sed cardine fixo
Irrita signato custodia permanet antro,
Stansque suis foribus vallante crepidine carcer
Clausus, apostolicis vestigia pandit aperta
Gressibus, et vigiles illudit janua fallax.
O nunquam neglecta fides, cui subjacet illud,
Quod natura negat propriis quam legibus uti

Non sinit omnipotens quoties jubet ipse vicissim
Posse quod insolitum fieri, mirata perurget.
Si quis adhuc fragili meditatur pectore Thomam,
Hinc documenta petat; quia tunc penetrata recepit
Janua clausa Deum: mirum est si corpore portam
Sic adeat, quem virgo parit; quem viscera matris
Integra concipiunt: humanam quæ rogo carnem
Sumere causa fuit, nisi suscitet? inde reversus
Exhibuit pro teste latus; nostrique favillas
Corporis exemplo proprii docet esse novandas
Vulneribus sua membra probans; modo didyme discis
Quam fuerit dubitasse nefas; an fecerit auctor
Quod nobis licuisse vides; si volvere sensu
Cura subit quod Christus ait, non indiga vocis
Est species; cur has sancti liquere latebras,
Dixit opima parans hos luminis esse ministros,
Et candelabri positas velut arce lucernas
In tota fulgere domo, nox nulla retentat
Quos lumen lux ipse vocat; qui dona ferentem
Et testem meruere Deum; qua lege cavernis
Occulerit locus ille suis tot in ordine soles,
De quibus ut tenebras pulsis erroribus orbis
Vinceret, æternam meruit cognoscere lucem.
Jura ministerii sacris altaribus aptis
In septem statuere viris, quos undique lectos
Levitas vocitare placet; quæ splendida cœpit
Ecclesiæ fulgere manus, quæ pocula vitæ
Misceat, et latices cum sanguine porrigat agni.
Hoc numero delatus honor sublimia secum
Sacramenta gerit, per quæ me longius ire

Non patitur mensura viæ, ne plura locutus,
Inveniat dixisse minus; sit cura ministris
Officium librare suum; quo laudis amictu
Hunc deceat lucere chorum, quem mysticus ordo
Consecrat in numero, cui dant cœlestia formam,
Promissum servabo modum, venerabilis orbi
Cœtus ait: verbi potius nos convenit omnes
Quam mense captare cibos; o gloria dives
Oris apostolici! nunquam permittere plebem
Virtutum sentire famem, dispersa talenti
Crescere summa solet, commissa pecunia linguæ
Displicuit cum sola fuit; locus indicat iste
Quod meliora rudi sint populo fercula mentis
Quam fusæ per membra dapes, lauteque peritum
Nutriat ingenium verbi pinguedo superni.
Nam quid corporeæ prosunt alimenta saginæ
Esuriente anima? cujus jejunia pasci
Semper ab ore decet, mensam ut tendamus ad illam
Uberibus verbis, ad quam conviva recumbit
Qui vestis candore nitet, ut fulcra beata
Deserat abstractus quisquis deformis ad illam
Eloquio sordente venit, ferat esca salutem
Progrediens de pane poli gula pectoris ipsum
Ambiat, atque animi pleno gustare palato
Interior festinet homo, ne vilior esset
Causa relicta tamen claris tractanda ministris
Creditur, et numerum tenuit pretiosa supernum.
Emicat hinc Stephanus, primusque in agone coronam
Nominis hæres habet, de quo prænuntia palmæ.

Vox cecinit quæ causa dedit; sere prælia martyr
Felices habitura neces, ubi gloria pœna est
Et cadere est ortus, jugulisque parentibus ævum
Nascitur, æternæ complectens munera vitæ;
Vitæ principium fuit en sine fine beatæ;
Sic meruisse mori; lapides Judæa rebellis
In Stephanum lymphata rapis, quæ crimine duro
Saxea semper eris: hunc denique Christus adoptat,
Ad quem miles ovans per vulnera sacra vocatus
Sanguine fecit iter, cupiensque in præmia victor
Hac properare via, nivei metitus honorem
Callis, ad excelsi pergit fastigia regis:
Et per tot lapides petræ conjungitur uni
Quis furor iste novus nulli feritate secundus?
Parcere nolle pio, vibrantibus acta lacertis
Saxa jacis; parat ille preces; nec respicit unde
Grando nefanda cadat, qui tempore mortis amicæ
Pro populo peccante rogat: licet omnia tecum
Tela feras, silicesque graves, et pondera libres,
Quem perimis victurus erit, qui fine colono
Seminat exemplum, quo surgit vinea Christi
Et calicem Domini convivia festa coronent.
Lumina cordis habens cœlos conspexit apertos
Ne lateat quod Christus agat, pro martyre surgit,
Quem tunc stare videt confessio nostra sedentem
Cum soleat celebrare magis; caro vincta tonanti
In Stephano favet ipsa sibi, dux præscius armat,
Quos ad dona vocat; ne quis hic dimicet anceps,
Corpus in arce Dei patuit pro munere testi:
Ad Sauli posuere pedes velamina sævi

Infernum quod hebræus ait: jam constat utrisque
Hinc meritum sentire suum, cum sydera martyr,
Carnifices infirma petunt sors prima revelat
Exemplumque creat, quod talia bella gerenti
Hoc de fonte fluit: sic occidentibus ut mox
Tartara succedant, morientibus astra patescant.
 Sæpe sibi socium Petrus facit esse Joannem
Ecclesiæ quia virgo placet: quo denique juncto
Samariæ vicina petens baptismatis undis
Ablutas signavit oves, quibus adfuit almus
Spiritus, et varias fecit procedere linguas;
Fonte quidem lotus, sed non in pectore mundus.
Hic fuerat Simo ille magus, quem prodidit orbi
Pœna sequens nescisse fidem: contractibus auri
Munera vult æquare Dei, nummisque referre
Quod pretio mercator emat, quem talia Petrus
Attentare videns, quisnam te perdite dixit,
Movit ad ista furor? Domini quod gratia donat
Ut venale putes: sensu hoc, non sumitur auro
Nec licet, ut cœlum corrupta pecunia quærat,
Quam terræ scrutator amat; tibi nulla profecto
Hac superest in sorte quies, nec ad ista venire
Tu poteris pollute dolis, qui cordis amari
Felle tumens aliena petis: namque atria mentis
Spiritus illa subit, quæ simplicitate nitescunt
Hac de voce sacræ lux est manifesta figuræ.
Ecclesiæ speciem præstabat machina quondam
Temporibus constructa Noe, quæ sola recepit
Omne genus, clausisque ferens baptismatis instar,
Cum vaga lethales pateretur turba procellas,

29.

Ad vitam convertit aquas : simul ipsa columbam
Deluit et corvum; sed non concordia mentis
Fecit utrosque pares, hunc guttura plena rapinæ
Subduxere viæ, cupiensque in funere pasci
Nil potuit vitale sequi; redit ales amica
Frugibus, et nullis succumbit naufraga lymphis
Nutriri de morte timens, studioque laboris
Dat documenta pii : quanto teneatur amore
Plus operi devota fides, rostrique modesti
Pignus oliva fuit; dilectio semper in ore
Fructum pacis habet; volitant in fluctibus ambo
Ex uno sanctoque sinu; servantis in alvo
Purganti vallante freto, tamen exsulat unus
Et reditu cessante perit : non ergo saluti
Sufficit unda lavans, nisi sit sine felle columba,
Qui generatur aquis, Simo hic baptismatis undam
Contigerat, sed corvus erat: sua lucra requirens,
Quæ nunquam meruere Deum, qui limine templi
Vendentes arcere solet; meliora sequamur:
Petrus ad ista vocat, qui filius esse columbæ
Dicitur ore Dei; meritoque hac matre creatus
Ecclesiæ sublimat opus; de munere prolis
Nomen habet genitrix; quod spiritus eligit almus
Alitis innocuæ dignatur imagine cerni.
Angelus alloquitur plenum virtute Philippum
Australem celerare viam qua spado jugatis
Æthiopum pergebat equis; qui fidus in aula
Reginæ servabat opes; volat axe citato
Gaudia fixa petens; curruque merebitur ipso
Errorum jactare rotas : o quanta bonorum

Semina percipies! qui tam pretiosa lavacri
Sumere dona venis; sterilique in corpore condis,
Quod fructum meliore metas: impone Philippum
Lampadis os quod Hebræus ait, qui mentis honorem
Nomine teste probat: juvat hunc audire magistrum
Discipuli qui jura docet; dabit ipse prophetæ
De quo verba sonant, quique omnia fecerit olim
Qua fuerit nunc parte satus; si credulus audis,
Et tibi nascetur: tuque inde renasceris illi.
Conspectis properatur aquis ardescere cœpit
Eunuchi fecunda fides, qui gurgite mersus
Deposuit serpentis onus; plaustroque cucurrit
Heliæ meditatus iter: non parva figuræ
Causa sub obscuræ regionis imagine lucet,
Comprobat Heptaticus tædarum fœdere Mosen
Æthiopem sociasse sibi; quem dogmata produnt
Postea cum Domino vicinius ore locutum,
Quid mirum si legis amor, tunc crescere cœpit
Ecclesiæ cunjuncta fuit, quod sponsa perennis
Hac veniat de gente magis; nec cantica cœlant
Quæ fuscam pulchramque vocant; hæc pergit ab austro
Ethiopum qui torret humum Salamonis in ore
Pacificum laudare suum, quo nomine dudum
Signatum est quod Christus habet; jam debita mundo
Custodem præmittit opum; quo pignore gazas
Incipiat proferre suas. Thesaurus in illa
Quis potior quam fontis honor? quod ditius aurum
Quam locuples sub corde fides? quam denique recte
Prævius huic spado est, quo procedente libido
Pellitur, et capiunt cœlestia regna pudici.

Saulus acerba fremens committere bella Damacis
Judaica feritate parat; sed amabitur agnus
Quo properat sævire lupus, sors læta ruinæ est
In qua culpa cadit: didicit de corpore lapso
In mentis jam stare gradu; cum lumina claudit,
Pectora tunc aperit; cœlique agnoscitur auctor
Discedente die; quantum meruere tenebræ.
Post oculos majora videt; mirabile seclis
Exemplum dedit alma fides. Anania furorem
Excutit o nova palma! lupum domat ille rapacem
Hebræus quem dixit ovem; clamabitur orbi,
Hoc præcone Deus, legisque exutus ab umbra
Sub qua cæcus erat; terras lucebit in omnes
Perpetuo de sole calens: ne desine Saule
Hunc celebrare diem multorum lumine plena
Nox datur ista tibi; tuque hic tua nubila portas
Ut mundi purgare queas, nunc plena figuris,
Interius documenta sequar; tectumque latebris
Aggrediar proferre jubar, quæ tempora Saulus
In tenebris triduana gerit: facit esse fidelem
Exempli mensura sui; tandemque coactum
Pœna magistra docet; Dominum ne respuat ultra.
Post triduum superasse chaos; cum cœperit ipse
Sic visus reparare suos; quod ab orbibus atris
Et squamæ cecidere graves, natura quod anguis
Ferre solet; ratione viget; Judæa venenum
Semper ab ore vomit crudelior aspide surda,
Perfidiæ coluber synagogæ sibilat antro,
Discipulis Salvator ait, calcabitis anguem,
Purior obsequiis ut sit cœlestibus actus

Vipereum jacit ante nefas; et prælia doctor
Mox meliora gerit; qui cum superasset iniquas
Insidias, meruit clausis evadere sportis :
Sporta solet texi juncis palmisque vicissim
Tegmina dat Saulo retinens in ore figuram
Ecclesiæ, nam juncus aquis, et palma coronis
Semper inest : juvat ecclesiam baptismatis unda
Martyriique cruor; dudum vescente caterva
Nutriti sub dente cibi : distendere septem
Sportarum cœpere sinus; tot in orbe profecto
Ecclesias scriptura canit; quot spiritus illic,
Sic operator adest, et signat nomina virtus
Cum tamen ecclesiam celebremus in omnibus unam.
Protegit ergo virum species, cui militat ipse
Vas in vase manens; atque hac duce tutus ab hoste
Egreditur, cunctis doctor qui vincit in armis.
Pervigil excubiis commissi Petrus ovilis,
Postquam cuncta videns, lustravit in ordine sanctos,
Per Lydiæ tulit arva gradus, ubi mœnibus astans
Respicit Aeneam defunctis vivere membris;
Atque anima nodis laxata mole solutis,
Non moriente mori, surgens paralytice dixit
Vectorem compone tuum; ne credere tardes,
Officium portare diu; quo munere vocis,
Stringitur insolidum, qui fluxerat antea nervis
Tunc iterum formatus homo, longique cadaver
Temporis, exstinctos ad vitam surrigit artus,
Seque levans, vacui linquit monumenta cubilis,
Quod misero pars mortis erat : plebs cuncta per illam
Cœpit stare viam; multisque supervenit ampla

Unius languore salus, tactoque liquore
Expulit inclusi sua mox contagia morbi,
Fonte lavans animas, alieno robore firmat.
Eloquar hinc sacræ quæ sint arcana figuræ,
Si mihi corda movet, cujus vox corpora reddit;
Octo quæ annorum languoris proditur ætas,
Jure per hoc tempus membris defecit ademptis,
Antiqua sub lege jacens, jugulantia quippe
Vulnera sęmper habent, quorum fit saucius infans
Octavo veniente die, sanavit ab illa
Parte gravem, lacerumque diu discrimine carnis,
In liquidis solidavit aquis: octavus ut ægrum
Solveret a plagis, exstincti corporis annus,
Quo numero veniente die; solemne resurgens,
Jam Christus sacravit opus, stat temporis usus,
Sed voto meliore redux: hinc vulnera serpunt
Hinc ablata ruunt; ibi subdit regula pœnis
Hinc purgat medicina vadis, spatioque priora
Dudum laxa neci stringuntur membra saluti,
Signatis etiam numero paralyticus annis
Ille jacebat iners, cui proxima mota Siloa
Heu nullas præstabat aquas, piscina ligata
Porticibus Judæa fuit; namque atria quinque
Ad sua claustra tenet per quinque volumina Mosæ
Legis adepta modum: cujus circumdata gyro
Debilis æternum vidit sine munere Jesum
In libris ægrota suis, hinc eripit unum,
Qui veniens peccata tulit, quam rite figuram
Mundus ubique gerit, quem postquam sabbata solver
Impulit ad fontem, superavit gratia legem.

Petrus ad ecclesiam revocat documenta magistri,
Cujus in orbe manu paralyticus exsilit unus,
Et gradiente fide sua vincula projicit orbis.
Te quoque laude potens, cœlestibus inclyta signis,
Carminibus Ioppe canimus; qua sede Tabita,
Mansuras fundebat opes, et semper egenis
Munere mater erat: quæ vitæ tempore clauso
Ponitur in medio lacrymis plus lota feretro
Post funus victura suum, fiducia Petrum
Evocat ille gerens divini pignus amoris,
Ut nunquam pietate vacet quod vota requirunt
Præstaturus adest lugentia tecta petenti
Stant inopes, viduique greges, et brachia monstrant
Exuviis onerata suis, quas Dorcadis ipsæ
Texuerant, dederantque manus: o qualia fervens
Implorat fomenta dolor! non murmure tristi
Affectum pietatis agunt, nec ab ore frequentant
Instrumenta precum, quidquid bona facta merentur
Officiis volvere loqui; vocisque repulsam
Elegere suæ; lateant ne vulnera cordis,
Quæ lacrymis fecere viam, facunda gementi
Materia est dixisse nihil, nimiumque sonora
Causa petit quæ lingua tacet, nec cessat ab aure
Clamosa pulsante fide, qua Petrus aditur
Qui mentes audire solet, jubet ocius omnes
Ire foras, flexoque genu fit pronior arvis:
Tunc magis alta petens; oratio fusa tonanti
Mox super astra volat, propriis quia clavibus intrat:
Dic ubi sunt mundana tuæ sapientia legis?
Qua virtute negas in se corrupta reverti?

Quæ vitam de morte vides: ut munera Petrus
Sentit adesse Dei, quibus est reddenda saluti,
Quæ defleta jacet, fatur conversus ad illam,
Surge Tabita, vocata redit; lucique reducta
Se stupuit superesse sibi; quam protinus ipse
Prendit, et erectam, turbis gaudentibus offert.
Illa manus meruit Petri contingere dextram,
Pauperibus quæ larga fuit, qua vita revertens
Cætera membra levat, corpusque itura per omnem,
Hanc subiit, quæ causa fuit: si jure movemur
Instaurata dies animæ patet apta figuris;
Quam nimis antiqui depresserat umbra pericli
Ad vocem conversa Petri; caput ante gravatum
Legis in obscuræ gremio, velut altera surgens
Ecclesia præsente levat, tenebrasque repellit
Lux operum comitata fidem, quæ legis ab ore
Non fuerat promissa salus; quia fonte renatis
Gratia perpetuæ cœpit dare munera vitæ.
Cæsarea venerandus erat Cornelius urbe
Gentili de stirpe satus, quem dedita causis
Vita piis sacravit aquis, cepitque gerendo
Credere, qui gessit quidquid baptismate lotis
Consuevit præstare fides: nam missus ab astris
Angelus hunc adiens, summi in conspectibus inquit
Stant Domini, quas spargis opes; quæ verba precaris,
Præmia ne desint virtutibus, accipe certam
Huc Petro veniente viam; sic voce coruscans
Nuntius æternis fixit mandata lavacris.
Nona fuit tunc hora magis, qua rectius hora
Prodiret jam trina fides; quam tertia simplex

Hoc iterum ter trina docet, sacramque figuram
Singula ter faciunt, et ter triplicata fatentur.
Hæc est nona potens oculos, quæ reddidit orbi
Post tenebras remeante die cum protulit ortum
De radiis lux nata Crucis, cunctosque replevit
Hoc sine fine jubar; nam mundum constat onustum
Gentibus esse locum, quibus in baptismate lotis
Plena repurgato fulserunt lumina mundo:
Hanc solet ille sequi denarius omnia donans,
Quæ præcepta decem servantibus arbiter offert,
Nec sinit ut tardos præcedant ære priores
Temporis hujus opem, quam sacri fontis adivit
Prævius o utinam nostræ petat actio vitæ,
Mortalisque sibi studium proponat origo,
Ut credentis amor rerum speculetur honorem
Et ferat exemplum meritis, qui præbuit undis;
Jamque capax fidei Cornelius indice voto
Ad Petrum tres ire jubet confessio trina
Sic veniet generantis aquæ numerumque per ipsum
Europæ atque Asiæ, Libyæque tenebitur orbis.
Ardua progreditur cœnacula Petrus adire
Jam medio torrente die, locus instruit altus
Despiciensque solum. Petrum cœlestia semper
Non terrena sequi: sextæ quoque circulus horæ
Detegit ætatem, qua Christus venit in orbem
Largiri salvantis opem, numerusque dierum
Prætulit exemplum, quo condidit antea mundum,
Quem vetat hac ipsa veniens ætate redemptor
Peccati ditione premi: sic denique sexta
Fertur et illa geri; fessus de calle magister

Cum putei super ora sedens, pervasa puellæ
Pocula quærit aquæ; requiem facturus ubique
Ecclesiæ de fonte suæ; qua Petrus in hora
Esurit, ille sitit pius ad sua dona magister
Addere semper amans, cui nominis auxit honorem
Dat pariter nutrire fidem, lætabitur orbis
Hac saturante fame, quæ munere pinguior omni
Delitiosa fluit, nullumque reliquit inanem
Perpetuas latura dapes, qui solvere nosti
Excute Petre meæ retinacula tarda loquelæ;
Deque tuis epulis exhaustæ porrige linguæ.
Claviger æthereus cœlum conspexit apertum
Usus honore suo demittitur inde figura
Vasis; ut in terris sit visio; corpore Petri
Omnia posse capi; qui quidquam sumit edendum
Ecclesiæ facit esse cibum; præfertur imago
Quattuor ordinibus se submittentibus una
Ecclesiæ forma est, quæ quattuor eminet orbis
Partibus et laxat totidem præconibus ora.
Omne genus retinens volucrum, pecudumque ferarum
Reptiliumque simul mortalibus ista cohærent
Ex meritis, vitiisque suis: patet ergo quod auctor
Jussit in ecclesiæ transfundi viscera gentes
Macta et manduca, dum præcipit; abstrahe quæ sunt,
Et tibi fac similes, qui vertitur alter habetur.
Denique Saulus obit quia Paulus vivere cœpit
Absit Petrus ait: quanta est reverentia sanctæ
Legis, et esuriens oblatas respuit escas,
Ter sonuit Domini vox; quæ dictata saluti est
Hoc genitor, natusque simul, sanctusque peregit

Spiritus huic fidei pugnax cadit Arrius unum
Personas tris esse negans. Sabellius unum,
Sed patrem confessus ait, qui, deinde vicissim
Filius et sanctus dicatur spiritus idem.
Sed totum sit ut ipse pater, quodque ordine trino
Continet unus apex, hic dividit, ille reliquit
Victus uterque jacet, nam jussio trina monentis
Personis numerum virtutibus indicat unum
Quo vocat imperio gentes, hoc credere fas est,
Si volumus complere fidem facis omnia Christe
Sanguine munda tuo lateris, qui fluxit ab ictu
Discretæ conjunctus aquæ, maculosus oberrat
Anguis et exstinctum lymphis gemit esse venenum.
Comperit accitus quæ sit sua visio Petrus;
De merito qui nomen habet; nam Petrus hebræo
Agnoscens sermone sonat: pro munere Christus
Sic vocitare dedit, quo cognoscente patescat,
Descendit visurus eos, quos miserat illuc.
Qui laticum quæsitor erat, descendere Petrus
Dicitur ad plebem veniens, gentemque novellam
Quæ necdum cognorat aquas; pars mersa profecto est
Sacro fonte carens, cujus via ducit euntes
Ad patriæ melioris opem; qua pergere cessans
Non intrat quo vita vocat comitantibus iisdem
Cornelii properat; cœlestia regna daturus
Sanctificare domum; genibus quem poplite flexo
Non sinit advolvi; gratis dare munera suetus
Arcet honoris opus; caput hinc novus erigit orbis,
Qui percussus eras antiqui dente parentis,
Natalemque tibi fons reddidit edite rursus

Ne preme colla tuis alienis libera culpis.
Ut primum fari sublimia dogmata Petrus
Cœpit, et æterni mysteria pandere Christi
Magnanimes stupuere viri, vocemque sequentes
Invenere viam: quid non credentibus offert
Indubitata fides? cui nunquam munera tardant,
Nec faciunt divina moram: mox spiritus almus
Indulgens varias opulento munere linguas
Complevit sine more domum baptisma frequentat
Petrus, ut ablutos flammis, purgaret in undis.
Exemplo caret iste locus, quo spiritus almus
Prævenit quas sanxit aquas, qui talia semper
Addere dona solet, solisque ex fonte renatis
Imposita properare manu: gerit ista vicissim,
Ne quisquam putet esse suum, meritisque venire
Quod variat qui sponte parat; nam spiritus almus
Nescia mensuræ fert præmia plusque ministrans
Quam sperantis erat; præcedit gratia votum.
Pervenit hinc abiens sublimem Petrus in urbem,
Quæ retinet vexilla Crucis; plebs cuncta requirit
Gentibus unde salus: aperit quibus omnia doctor
Subjungensque monet; nunquam fas esse negari
Quæ veniunt bonitate Dei: sententia voce
Digna pii monstrare palam custodis amorem,
Ut velit ad cunctos cœlestia regna patere,
Qui tenet has sine fine fores: quid turba querelis
Gaudia nostra teris? non sunt nova munera Petro
Persæpe assignata prius; cum nominis almi
Huic Christus dat laude frui; quem jura locavit
Ecclesiæ portare suæ, cum littore naves

Prospiciens astare duas, præcepta ministrans
In Petri vult puppe vehi synagoga profecto
Sicca remansit humi: postquam doctrina magistri
Ecclesiæ dedit alta sequi, stat perfida terris
Jam pelago currente fide sua quippe figura
Hæsit utrique rati. Joseph Judæa vocabat
Hunc natum cui Petrus ait: tu Christe probaris
Filius esse Dei: pars hæc defigitur arvis,
Quæ cecidit terrena sequens, processit in altum,
Quæ crevit divina loquens: cum pisce sine ullo
In tenebris captura fuit; nam tempore lucis
Lux qui Christus adest, spoliat vada falsa draconis,
Ut cunctos ad littus agant sacra retia fontis,
Et de cærulei rapiantur fauce profundi.
Nam mare mundus erat, cujus de gurgite Petrus
Humida lina trahens, verbo piscante carinam
Complevit majore sinu; quia turba duobus
E populis ventura foret, gentesque levavit
Tunc famulante salo; plenaque, in puppe fatetur
Ecclesiam, cujus placida statione recondit,
Quod Domini sermone capit, qui dixerat ante
Esse alias, quas quærat oves, has nempe parabat,
Quas nunc rite vocat, per quas clementia Petri
Congregat æthereis humana peculia septis.
Non deerit sua fama locis; Petrus omnia prendens
Bethsaida satus urbe fuit, que nomine hebræo
Venatorum est dicta domus, quia verus ab illa
Ecclesiæ venator adest, qui cuncta peragrans
Cinxit, et ad fidei collegit retia gentes.
Clauditur obscuro, sed non sine lumine Petrus

Carcere, nec possunt tenebræ caligine furva
Ecclesiæ cælare diem; commune per omnes
Supplicium timor ille facit; custodia Petri
Publica pœna fuit, proprium sed pastor ovile
Servato custode regit, quem ditat honore
Ter Dominum confessus amor, de nomine petræ
Nomen Petrus habens, æterna vocabula portat
Fundamenta gerens nunquam passura ruinas.
Exspectate tuis, cunctoque in tempore carus,
Et nobis jam Petre veni, simul omnibus exi,
Quos stimulat nunc cura prior; jam nocte profunda
Angelus astra ferens ergastula candidus intrat
Se comitante die: cœli veniente ministro
Carceris umbra fugit, pulsæ periere tenebræ
Lucifero radiante novo; color exsulat ater,
Et mutata vident nocturna crepuscula solem
Custodum vallante manu: inter vincula Petro
Corpore somnus erat, sed cum vigilaret in illo,
Quæ nescit dormire fides; hoc cantica clamant,
Dormio corde vigil, læti documenta figuræ
Discite, qui liquido meruistis fonte renasci,
Et quæ forma manet sacrato in corpore Petri,
Cernite corde pio, docet hanc virtutis apertæ
Angelus ipse viam, tangens, latus impulit, in qua
Ecclesiæ stat parte caput, qua nuntius ortam
Noverat, inde levat, lateri subnexuit arcæ
Hostia sancta Noe clausis animalibus, hinc est
Diluvio vastante salus; producitur Eva
Dormitante viro lateris generata propago
Nomen habens vitæ, si nunquam culpa fuisset

Sic mansura magis: Christus post mysticus Adam
Dignatus dare membra cruci, atque in carne perempta
Morte premi, qua vita redit, nova dona liquoris
Per lateris sacravit iter; nunc Angelus illa
Petrum parte vocat, mens credat ut omnis in ipso
Ecclesiæ constare decus, teneatque superno
Assertore fidem: quo calciamenta monente
Hi meruere pedes, tetigit quos dextra magistri,
Quæ totum mundavit aquis; gradientibus illis
Conclusæ cessere fores; putat omnia somno
Ludificante geri, cui præmia vera paravit
Majestas ignara doli: jam ferrea claustris
Porta patet, rigidi laxant sua vincula postes
Gentibus abscindens duræ feritatis acumen.
Aspera cuncta domat, ne janua fixa vetaret
Orbis iter, quo cursus erit: dic gloria rerum,
Ferrea quid mirum si cedunt hostia Petro?
Quem Deus æthereæ custodem deputat aulæ
Ecclesiæque suæ faciens retinere cacumen
Infernum superare jubet, mox liber ab hoste
Divinum celebravit opus, quem prima puella
A tenebris remeare probat; quia gratia Christi
Rem dedit esse parem visus adit ipse resurgens
Femineos; loquitur redeuntis gloria carnis
Ad sexum, quem mater habet, patet hinc quoque vatem
Ecclesiam sensisse suum; quæ gaudia portet
In cunctum diffusa gregem; quis talia fando
Explicet, aut verbis attollat pondera rerum?
Maximus ille pavor gelidos qui strinxerat artus,
Lætitiæ mensura fuit: manet omne per ævum

Pignoris hujus apex; et syderis obtinet instar
Corpore quæ Petrus sacravit, et Angelus ore
His solidata fides; his est tibi Roma cathenis
Perpetuata salus: harum circumdata nexu
Libera semper eris: quid enim non vincula prestant,
Quæ tetigit qui cuncta potest absolvere? cujus
Hæc invicta manu vel relligiosa triumpho
Mœnia nonnullo pœnitus quatiuntur ab hoste
Claudit iter bellis, qui portam pandit in astris.

ARATORIS

APOSTOLICÆ HISTORIÆ

LIBER SECUNDUS.

Spiritus accensam verbo radiante lucernam
Sub modio lucere vetans, secernite Saulum
Dixit in oris opus, quem mox sacravit euntem,
Imposita Petrus ille manu: cui sermo magistri
Omnia posse dedit, Cyprum, Salaminaque linquens
Pergit adire Paphum; quæ fertur amoribus olim
Dedita, sacrilegæ mansisse libidinis antrum,
Aligerosque vagos studio coluisse procaci.
Hinc operum procedit apex, quia gratia major
Ad delicta venit, culpas huic posse remitti
Exemplum jam Paulus erat, quæ splendida laudum
Materia est adjecta viro: primordia casta
In luxus regione serit, fructusque pudicos
Multiplicat lascivus ager: cui nescia post hæc
Difficilisque foret, cum sic videatur, honestas
De turpi cæpisse loco, pars nequa vacaret
A meritis jejuna, tamen molitur iniquus

Eloquio certare magus, contraria semper
Virtuti fecere viam; jaculata retorquens
Ecclesiæ bellator ait: fallacia monstrant
Quo pereas genitore satus, confinia mortis
In tenebris patiere tuis, neque cernere solem
Tempus adusque datur, rerumque attendere formas
Artificem quibus esse negas: tunc nubila vultum
Cæruleis fixere notis, et pectoris atri
Venit in ora color; quærit jam calle negato
Quo duce tutus eat; cujus pede gressibus instet
Quis tribuat miseratus opem, vacuasque per auras
Erroris palpavit iter, proconsule Paulus
Mox didicit lucere fidem, cui causa videndi
Nox aliena fuit: non sunt nova Paule salutis
Obsequia: e tenebris lucem bene surgere nosti
Omnia secretam reserant documenta figuram.
Si libeat vigili pulsare latentia sensu
Jure docens Paulus, miracula condere cœpit
Ex oculis, jubar unde sui micat altius oris
Amisso crescente die, sic nuper iniquum
Subdere dignus erat, tenebrisque fatentibus hostem
Vincere, qui cæcus meruit sine fine videre.
Antiochi dictam de nomine visitat urbem
Paulus, et extemplo properat dare verba catervis,
Quas synagoga tenet, dextraque silentia mandans,
Nostis ait: patribus tellus Ægyptia nostris
Qua posuit feritate jugum, crudelibus arvis,
Quos rapuit per signa Deus; quibus omnia cedens
Mutavit natura vices, cum virga fugavit
Terga maris, fluctusque suis stetit exsul ab oris

Pulvereo de calle placens, pontique facultas
Obsequio est subjecta pedum, redeunte profundo
Naufragium sactura reis, quæ vertere jussa
Per varios sua jura modos, his stravit arenas,
His cumulavit aquas, justis via, sontibus unda.
Cum percussa silex venis spumavit apertis
Æquoreos enixa lacus; de vertice sicco
Flumineum largita vadum, non pristina morem
Gessit origo suum, veterem nec præbuit usum
Dona novella ferens, quam lex æterna coegit
Non innata sequi, disjunctaque semnia monstrat
Posse dari de rore dapes; de caute liquores;
Nam ne pauca piis fluerent miracula causis,
Saxa vomunt latices; et inundant nubila panes,
Aereusque liquor solidis induruit escis,
Quæque diu vacuas tenuerunt agmina fauces,
Frugiferis saturantur aquis, nimbique coloni
Dant epulas, pluviamque vorant, et manditur imber,
Sic invicta manus; sic gratia plena creantis
Scit querulos nutrire greges, et ponere sacros
In patria meliore choros; ut ventris amœni
Fructus ad æternæ florescat semina vitæ:
Davidica nam stirpe satus genitrice Maria
Christus adest, quem tota canunt oracula vatum
Venturum sub carne Deum, seseque creantem
Virgineos intrare sinus. Evolvite quidquid
Sabbata vestra tegunt, typice documenta figuræ
Perspicitis fulgere sacri præsepibus agni;
Cujus ab igne senes hauserunt dicta prophetæ,
Et dedit ante loqui quod cœpit postea nasci.

Clamavit virtute potens Baptista Joannes,
Non ego sum, post me veniet, cui tangere non sum
Calciamenta pedum dignus, neque solvere summam,
Quæ ligat excelsas humilis corrigia plantas.
Quam bene vox Pauli cecinit præcepta lavacri
Permiscens antiqua novis; nec epistola cessat
Hæciterare docens: patres baptismate nostri
In rubro fulsere freto sub nomine Mosæ
Per legem, cum petra simul sequeretur euntes.
Nam petra Christus erat. Quid adhuc gens surda requiris?
In libris sonat ecce tuis: ne credere tardes.
Consule signa maris, quæ mystica dona susurrant
Temporibus ventura crucis, cum sanguine Jesus
Tinxit aquas, laterisque uno de vulnere fluxit,
Quod vitæ tria donat daret: rubor equoris ille,
Causa futura fuit: sic conditor abluit omnes,
Sic emit, hic pretii color est in gurgite ponti,
Apparentque in vado miracula debita ligno.
Sæpius obscuris radios infundere fervens
Mentibus, hæc rursus memoravit in ordine Paulus.
Postquam signa Dei carnis vestitus amictu
Christus ubique dedit, faciens manifesta, quod orbi
Venerit ipse salus: stimulis agitata furoris
Impia turba fremens, petit hunc a jure Pilati
Suspendi, figique cruci: terrena propago,
Vota quod optanti non possunt omnia ferre,
Sponte salutiferi cesserunt munera Christi,
Qui libertatis pretium tibi venit ab astris,
Perdita restituens, tumulisque jacentia tollens,

Respice quam proprio maneas obnoxia regi,
Ne pereas, vult ipse mori: post tristia facta
Quinetiam custode dato signare sepulcrum
Ad geminum volvere nefas, Dominoque paratam
Surgenti damnare viam: pro cæca voluntas,
Quæ putat æternum mortali lege teneri,
Et non posse sibi post funera reddere membra,
Qui toties aliena levat, meministis ab ore
Davidicæ resonare lyræ; corrupta vetabis
Sanctum nosse tuum; poteratne in pulvere lethi
Ferre moras? qui vita manet? quem suscitat auctor
Nil patiens de morte Deus: mors denique victa est,
Vincendi transgressa modum, quæ judice tacto
Linquere jussa reos, spoliis vacuata vetustis
Per sua bella cadit; veniensque absolvere vinctos
Non retinendus erat: sors ultima cœpit averni
Jam vita præsente mori, quæque omnia subdens
Ante fuit, tunc ipsa perit, tr duoque peracto
Lucis iter quod fecit adit: quo tota resurgit
In Domino natura suo; de lege videtis
Laxari non posse neces: hunc quærite, cujus
Sanguine mundati regno sociamur herili,
In cujus jam parte sumus, sub pignore carnis
Quam voluit portare Deus; tunc dogmata quosdam
Ecclesiæ dant ista viros, vetuere loquelas
Ulterius proferre pias: o semper inanis,
O sterilis Judæa tibi! quæ semina vitas,
Ne fructus afferre queas; quibus ore magistro
Paulus ait: vos ista quidem; vos nosse deceret.
Ast aliis hoc lumen erit; nam scripta fatentur,

Lumen in extremis posui te gentibus esse:
Gentiles stupuere globi, fontemque secuti
Sumere promissæ cupiunt novitatis honorem,
Et lympha genitrice sati meruere renasci.
Compellor ratione loci pro munere tanto
Historiæ pulsare fidem; quæ prodidit olim
Cum populos, gentesque duas in ventre Rebecca
Ferret, et angustis includeret agmina muris
Consuleret que rogans oranti corde tonantem,
Responsum metuisse Dei: prior inquit in istis
Inferior, breviorque manet, majorque minori
Serviet, et juvenis palmæ potietur honore
Quidquid in hoc utero fecunda puerpera gessit,
Ecclesiæ conceptus habet, formamque sequentem
Gentilis concursus agit, qui crescit in alvo,
In qua victor erit, quod jam meminisse necesse est,
Et studiis celebrare bonis, famulemur ut illi,
Cujus ab affectu nos contigit ante vocari,
Quam nasci, qui dona prius, quam tempora præstat
Jamque Lycaonios incedens passibus agros,
Listram Paulus adit: fuit hac tunc claudus in urbe,
Supplicio comitante satus, vestigia ferre
Nescius ex utero; membri pars cœperat ægri
Se nascente mori; comperto dogmate Pauli
Quo monitore piæ tendunt ad sidera mentes,
Mox voluit divina sequi: bene claude jacebas
Has primum graditure vias, petis æthera sensu
Cum necdum movearis humo, pedibusque negatis
Longius ire vales. Paulus speculatus in imo
Pectore quid caperet, claudique fidelis amorem

In verbo jam stare Dei, sic clarius infit,
Surge citus, rectusque tuis imponere plantis.
Exsequitur præcepta salus, et calle novello
Progreditur persona vetus, motuque frequenti
Pulsat ubique solum, perque omnia currere tentans,
Sæpe timet quod nescit iter; modo gressibus ortus
Annoso languore senex, quod ut agmina cernunt:
Exclamant, divumque vocant; ac serta ministrant,
Ut mactanda feri procedit victima tauri.
Paulus ad hæc, tunicam rumpit festinus, aperta
Sic prohibens ratione viros, solemnia nobis
Cur precor ista datis? fragili quos corpore constat
Terrena sub lege premi, fuit impius olim
Relligionis honor, cum numina fusca metallis,
Artifices timuere sui, cum templa dicarent
Abscisis de rupe Deis, tunc forte licebat,
Innocuos mactare greges, fibrasque tepentes,
Consulere, et vocem pecudis morientis in extis,
Quærere: nunc libeat vanis cessantibus aris
Æterno parere Deo, qui semina vitæ
Præbuit et variis proventibus arva locavit,
Cujus ab imperio, plenis consurgit aristis
De grano moriente seges, palmesque recisus
Vulnere conceptas fecundius educat uvas,
Quo moderante polum succedunt solibus imbres,
Tempora temporibus, quæ cum fugitiva recurrunt
Post sua terga, vagi constantia permanet anni.
Discite jam verum sacra de virgine natum
In terris celebrare Deum; nec vota feratis
Lanigero damnosa gregi, quos liberat agnus

Unicus, ablutum, qui sanguine comparat orbem.
His dictis instructa fides; sed corporis usus
In geminum processit opus, duplicemque figuram
Personat una salus, toto quod in æquore mundi
Ecclesiæ duo sunt populi per verba duorum
Cui plenas captura duas facit esse carinas,
Namque hæc humano generi collata vicissim
Claudorum docuere pedes, quibus astat imago
Singula quæque gerens; populo communis utrique;
Quem Petrus antiquis tribuit consurgere plantis,
Ad portam vicinus erat: gens venit ab illo
Circumcisa loco, psalmi, lex, atque prophetæ;
Cui Christi cecinere diem, quem Paulus ab arvis
Erigit, ad templi nunquam consederat ædes,
Longinqua tellure jacens; quia gentibus orsus
Cœpit ab ore pio solide vestigia mentis,
In turbas proferre rudes, populoque mederi,
Quem latuit vox prisca Dei, sic claudus uterque,
Cum properat genus omne levat, gentisque salutem
Personæ signavit iter, quæ gloria rerum
Contulit ut Petro Paulum gerat ordo secundum
Qui fundamentis manet architectus in illis.
Ut tamen auctoris memoremus ad omnia laudes,
Hii duo sunt cæci properantibus undique turbis,
Qui Domino dixere simul, fili optime David
Da tenebras exire graves, da cernere lucem,
Quam nescimus adhuc: subitum tunc illa medelæ
Semper amica manus jubar intulit, atque reliquit
Nox oculos, exsulque dies illuminat orbes,
Expavitque redux inopina crepuscula visus.

Hos populos liquet esse duos, quos noxia venæ
Cæcavit natura suæ, clementia Jesu,
Cum celebravit iter, cum tempora carnis habere
Se voluit, de luce novat, purgatque figuram,
Quam delicta dabant, moxque integra fulsit imago,
Quæ meruit sentire Deum: pars juncta cerebro
Maxima sunt oculi, creat hos in munere Christus,
Qui caput et splendor rerum est: pars omnibus ima
Sunt in fine pedes, hos sanat in aggere cura
Vocis apostolicæ; quoniam speciosa vocantur,
Quæ pacem cunctis portant vestigia terris.
Exortum est lumen tenebris, per dona magistri
Hii statuunt gressus, quibus est sors tradita verbi,
Ut vigeat medicina sequens bonitate prioris,
Paulatimque salus in totum transeat orbem.
  Jam rabidas hominum Paulus superaverat iras
Velificante fide, subitas vomuere procellas
Judaica de nube doli, non primitus ulli
Posse lavacra dari, quod circumcisio carnis
Accedat de lege Dei, gens dura quid ultra,
Ad lapides, ferrumque vocas? hæc umbra figuræ
Non species mansura fuit, simulata relinque,
Quæ jam certa vides, Christi processit ab ore
Vita manens, omnesque jubet de fonte renasci.
Qui veniunt cur membra secent? partemque resol-
vant?
Cum totum salvare quæant? ne quære vetusto
More premi novitatis opem, deflexaque retro
Lumina constitui, postquam via rectior omnes
Dirigit, et cæsis illustrat sentibus orbem,

Lite sub ambigua Paulus loca tendit ad urbis,
Cui radiant monimenta Crucis, sanctosque revisit
Juris apostolici proceres, quibus omnia præsens,
Quæ sunt gesta refert. Petrus cui maxima cura est
Commissos augere greges, ad pascua cunctos
Se duce læta vocans, has explicat ore loquelas :
Cernitis æternum seclis memorata vetustis,
Quæ populo docili cecinerunt ore prophetæ,
In nobis complesse Deum? qui maluit emptor
Omnibus esse salus, nullum discernere passus
In pretio, quo vita redit, mihi jussit apertam
Gentibus hanc monstrare viam : quid vota morari
Tardarique juvat? quidve hæc ænigmata prodest
Misceri cum luce nova? quos gratia purgat,
Ut veniant, lex nulla vetat; cœlestis amoris
Materia est festina fides, hanc Christus adoptat,
Hanc facit esse suam, qua quisque merebitur uti,
Circumcisus adest, et jure renascitur undis.
Pastorem statuere sequi; placet ergo ministros
Ire simul, scriptisque piis absolvere gentes,
Hoc illis non stare jugum : tamen esse cavendum
Ne simulachra colant; quorum libamina semper
Execranda forent, ne suffocata cruore
Quæ maculantur, edant, ne sævior hoste libido
Hos impura præmat, quos lux baptismate mundat.
Clarius ut liqueant hujus documenta figuræ;
Et progressa prius cur jam discedat imago?
Principium meminisse juvat : Deus inquit Abraam
Ut testamentum tibi nunc, sobolique perenne
Constituas in carne meum, præputia ferro

Circumcide libens, et fœdera necte superna.
Secretam scrutemur opem, videamus in isto
Vulnere pacta Dei, quæ testamenta recondit
Præscius, ut terris consortia jungat olympi,
Quæ didicit jurare puer, qui primus ad undam
Repperit ecclesiæ currentem fonte Rebeccam.
Corporis ille locus, quo circumciditur Abram
Luxuriam lascivus habet, vitiique minister
Naturæ sub lege jacet, pater ipse futurus
Seminis unde salus ad vitam pullulat orbis,
Evacuat, quod culpa gravat: truncata libido
Virgineum promittit opus, hæc namque propago
Divinum concepit iter, hinc sacra Maria est
Ad partum generata novum, quæ conjugis expers
Mater inest, natusque Dei de virginis alvo
Emicat, atque hominem mediator in omnia complet:
Hinc terrena levans, illinc cœlestia præstans.
Præterit ergo vetus Christo nascente figura;
Hæc facies jus omne novat, cultroque fugato
Spiritus ardescens cor circumcidit in undis,
Qui sanantur aquis, ne figant vulnera membris.
Nescius interea curis laxare quietem
Paulus in orbe docet, verbique ligonibus omnes
Excolit, et fidei cogit flavescere messem,
Errorum fugiente gelu, quem spiritus almus
Hæc Asiæ proferre vetat; nec Mesia quivit
Dives agris hujus tunc semina ferre salutis
Fecundo jejuna solo: vir quippe Macedo
In somnis hæc visus ait, miserere precamur
Illyricos dignare sinus; o gratia quantum

Improvisa parat! subito flammantur amore,
Qui positum jam tempus habent, sic nocte fugata
Doctiloquus convertit iter, fructuque loquelæ
Vescitur esuriens Macedonia, perque soporis
Dona salutiferam meruit comprendere linguam.
Quæstio crebra sonat, si plenus munere largo
Prædicat omnipotens, non veni perdere mundum,
Sed salvare magis: faciat quæ causa negari,
Hæc aliis, aliisque dari, cum prodiga Jesu
In commune velit pietas succurrere cunctis,
Suppetit affatim exemplorum copia, nosque
Lectio multiplicem docet hac in parte figuram,
De qua pauca canam, Luca narrante relatum.
E populo quidam Christo comes ire rogabat,
Quem secum prodire vetat, qui deinde tacentem
Sponte vocat: novit mundans interna magister,
Quæ verbum jam corda ferant, quos obstruat intus
Error iniquus adhuc, ut tunc doctrina ministret
Officium, cum tuta venit, ne sancta, quod inquit,
Incipiant violare canes, cœnoque gravati
In margaritas vertant contagia porci.
Altera res etiam superest in carmine dura,
Sed quibus ex veteri patuerunt omnia forte,
Ore datas tenui facile est advertere guttas.
Exodus ille liber memorat velamina sacri
Pontificis, qua nempe queat splendescere veste,
Officiique habitum nitido componere cultu.
Quis segmentatus mediis altaribus adstet,
Quas inter species parili numerantur amictu
In femore exuviæ, quibus indumenta pudoris

Progrediens ad templa locet, studeatque sacerdos
Obstrictis renibus mysteria castus adire,
Quod statuit lex prisca, magis devinctaque jussit
Tunc hæc membra tegi, quæ possidet atra libido,
Cum properat libare Deo: laxata relinquens
Conjugio post sacra tantum, ne partior usus
Ad sobolis non staret opus, sterilique marito
Connubii frigeret amor, cum certa propago
Hoc solemne gerens nullos admitteret unquam
Externa de stirpe viros, ubi nomine prisco
Ex aditis perdurat honor, prolesque per ævum
Sanctificanda redit, vicibus supplenda creandi.
Ecclesiæ nunc alma fides sine fine pudicos
Pontifices jubet esse suos, et quærit in omni
Cauta tribu, quos rite probet nec sanguinis iste,
Sed meriti successor erit, tamen illa figura
Qua sine nulla vetus subsistit littera, demum
Hac melius novitate manet, variatque recurrens
Alterna ratione vices, ne forte sacerdos
Tunc generare velit, cum necdum mente capaces
Cernit adesse greges; cumque instat nobilis ardor,
Discendique fames, ut apertius ora resolvat,
Ne quisquam jejunus eat: nam semine verbi
Prolem posse dari, Paulus quoque sæpius inquit,
Filioli dicendo mei juvat ergo parumper
Eloquium genitale premi, studiumque docentem
Dispensare suum, laxans pro tempore vires
Ingenii, strictasque ferens, ne fusa profani
Conculcata terant, mundatis sancta reservans
Fas vetat inde quæri, culpis hoc imputet Adæ

Venæ pœna suæ, quid enim rea fauce parentum
Progenies sibi jure petat? sator ille benignus
Ni donare velit, quidquid temerarius error
Corrupto natale tulit: via sola salutis
Affectus parcentis erit, miseratio semper
Conditione caret, præstans indebita Christus
His pius accelerat, justusque his munera tardat.
In Macedum terris cum mœnia nota Philippi
Doctoris celebraret iter, bacchata puella
Sub stimulo Pythonis ait, Paulum esse ministrum
Æterni scitote Dei: professio vera
Mendaci de teste sonat, vocemque fidelem
Perfidus auctor habet, sed non defertur honori
Quod cogit formido loqui, nec mente cohæret
Nudus amore timor. Paulus miseratus ab atro
Dæmone corda premi, nolensque licere profano
Divinas aperire vias, fuge dixit, et istam
Ulterius tentare cave: nil jussa moratus
Hostis ab est, vacuamque domum possessor iniquus
Deserit, ac profugo mulier sanata periclo
Conticuit de laude viri, quæ cœpta peregit,
Plusque tacens hoc esse docet, de munere vulgi,
Hæc quæstum faciebat heris, quos turbidus implet,
Quo caret illa furor, populique procacis in aure
Seditione fremunt, romanis obvia sacris
Sacra dari, ritusque novos exire per orbem,
Et veteres cecidisse Deos: tunc agmina raptim
Fustibus innumeris, eliso corpore Pauli,
Conveniunt, ubi carcer erat, quem sedibus imis
Includunt comitante Syla, vestigia quorum

Ligno mersa cavo vinclis tenuere beatis.
O felix de clade locus, cui clara refulgent
Lumina pro tenebris! in quo dedit esse perennem
Nox antiqua diem, niveam translatus in aulam
Ecclesiæ, cunctisque ferens modo dona salutis,
Quam bene carcer erat, tota concutitur urbe,
Qui primus nova tecta petat, quive oscula figat
Postibus, et tacta sacretur parte cylindri.
Jam nocturna quies, per corpora serpere fessa
Cœperat, et exsiliit tellus imitata ruinam
Visceribus concussa suis, et claustra relaxans
Mota vagatur humus, seruitque canentibus hymnum
Tempestas famulata soli: proh quanta patescis
A nullo superanda fides! veniente periclo
Pœna fugit, geminoque metu discrimina crescunt,
Ut perdant tormenta locum! tremefactus ab alto
Excutiens sua membra toro, cum libera custos
Cerneret antra necis, gladii mucrone retecto
In jugulum vult ferre manum, sed non licet illi
Paulo teste mori, cujus solamine vitam
Repperit, atque suo meruit de carcere solvi,
Descendensque domum sacris fomenta ministrat
Vulneribus, liquidamque parat sibi redditus undam,
Cœlestem tacturus aquam: nam corde saluti
Figere Paulus amans, cunctos simul amne fluenti
Diluit ætherei, patuit cui luminis ante
Gratia non perimi, crevit post vita renasci.
Blandiloquis olim capta est sermonibus Eva
Deceptura virum, nunc improbus ora puellæ,
Qui tunc dæmon agit, repetens ad crimina sexum,

De quo præda fuit, multis ventura canendo,
Peccati conceptor erat: sed apostolus Adam
Jam melior cœleste levans in imagine signum,
Qui fuerat terrenus homo, nec certa recepit;
Nam fallit quod ab hoste venit: metuamus ut omnes
Hoc audire nefas, nec corrumpamur amari
Melle doli, si vera canat, qui falsa ministrat.
Ingeniis claras et linguis Paulus Athenas
Ingreditur, tumidamque feris conflictibus urbem
Eloquio torrente premit, quem turba profari
Doctisonis mirata modis: quibus inquit ab oris
Verborum fluit iste sator? plebs nescia Paulum
Semina ferre vocat, fruiturque errore magistro
Vera loquens; namque hic facundus in orbe viator
Ambulat, atque colit, cujus labor omnibus instat,
Ut crescat divinus ager, purgataque fructum
Mens humana ferat, lolii ne sordeat herbis,
Quam segetes portare decet, manus æmula cogit,
Ad proceres hunc ire simul, quibus edidit astans.
Cecropidæ, quos fama canit sermone diserto
Gymnasiis vernare suis, ubi præsidet altus
Sacrilegæ novitatis amor, vos cernimus aram
Ignoto posuisse Deo, qui condidit astra,
Qui pelagus, terrasque dedit, quem vita parentem
Ut moveamur, habet; cujus spiramus ab igne,
Cujus imago sumus, de quo cecinere poetæ,
Hinc hominum constare genus, quem prædico cuncta
Sanxit ab ore suo: cur hæc divina vocatis,
Quæ facitis, vacuoque metu cœleste putatis
Auxilium? quod gignit humus, natura metalli

Visceribus jacet ima soli, quibus eruta sumit
Ingenii fabricantis opem, seu numina templis
Hinc veniant, seu vasa focis sibi causa timoris
Ars operata deos. Dominum super omnia fusum
Claudere nemo potest, parvisque arctare figuris.
Quod capitur minus est spatio capientis, in auro
Materia est; opifex rerum non sustinet usum,
Quem simulant, quos ipse creat: quam dura luetis
Crimina, quam stultam sese sapientia vestra
Judicii est sensura die, cum corpora Christus
Surgere cuncta jubet, tormentaque fine carebunt,
Utque reos cruciet, servet quos devoret ignis.
Sic caro juncta Deo carnales expiat actus,
Et commissa sibi coram; hac examinat ultor,
Qua voluit moriente pati, quam funeris expers
Vivificare volens, post tartara reddidit astris,
Hæc multos ad dona vocant; Dionysius ipse
Primus in arce soli nova præmia jungit honori,
Complexusque fidem sic incipit esse sophista:
O lupe Paule rapax, dedit hoc benedictio Jacob
Nomen habere tibi; quid jam remanebit in orbe,
Quod non ore trahas? postquam solertia Graia
Cessit, et invictas in dogmate vincis Athenas.
Cur Epicureus, vel Stoicus impia soli
Bella cient? reserare opus est: quo nomine multi
Sectarum coiere greges, vitam ambo beatam
Elegere sequi, quam corpore diligit alter;
Hic animi virtute colit; dat et actio Pauli
Ad vitam præcepta piam: sic themate juncto
Hi magis alternis solverunt vocibus ora.

Corporis, atque animæ commissus partibus extat
Plenus homo, sed nunc studiis diversa sequentes
Ambo volunt, quod neuter habet: vas lumine plenum
Subdit utrumque Deo: video clamans, caro menti
Quam sit iniqua meæ, rursusque salubriter infit,
Non propria de parte geri, quod gratia donat,
Hoc celebremus iter, vita quia Christus, et ipse.
Se vocat esse viam, per se gradiamur ut ad se;
Sanctaque ne pedibus possit cessare lucerna,
Præco datus fidei vestigia suggerit orbi.
Attica discedens jam liquerat agmina Paulus
Eloquiis superata piis, bimarisque Corynthi
Mœnia juncta petens populosam repperit urbem,
Quæ licet alterni contingeret æquoris undas,
Perpetuas sitiebat aquas; ibi Ponticus ille
Aquila tunc præceptor erat, vir plurima laudis
Instrumenta gerens, cujus se Paulus amico
Contulit hospitio, sociam dignatus adire
Artis amore domum; nam scenifactor uterque
Pollebant operis studiis, et dogmate legis.
Christus ait, nunc Paule doce, non obviat ullus
Me comitante tibi, quæ sit mihi mœnibus istis
Turba vides, insiste loquens, ego pectora firmo,
Ista monent nullos unquam de munere tardo
Posse queri, gratis quod dat clementia Christi.
Tecta sub ambiguo lateat ne forte figura,
Qua dabitur ratione canam, de nomine sæpe
Argumenta trahi, documentaque maxima gigni
Scripturæ cecinere piæ: juvat altius ergo
Quærere, qui Paulo carus conjungitur hospes

Factus in arte comes, sub cujus imagine causæ
Sic vocitatus erat, qualive decorus honore est,
Hac quoque parte placens: aquilæ natura fidelis
Sponte gerit, quod forma tenet, nam debilis ævo
Et declinatis senio jam visibus ales
Flammivomo sub sole jacet, pennasque gravatas
Ejus in igne fovet, nocturnaque lumina pandit,
Atque oculos radiis ardentibus ingerit ægros
Ad veterem reditura diem, sic dona caloris
Languida sumit avis, cujus de fomite vires
Accipit, et prisci reparat dispendia secli,
Cui ne sola forent, quæ fervidus incutit æstus
Per laticum purganda vadum, ter mergitur undis,
Et senium deponit aquis, juvenemque, decoris
Effigiem de fonte levat: quis apertior actus
Relligionis erit, cum veri lumine solis
Tangimur, antiqui contagia solvimus ævi
Accedente fide! lympha mox matre renati
Conspicimur novitate rudes; infantia rursus
Fit recidiva sævi, gemino manantibus ortu
Hic melior natalis adest, bene conscius hujus
Alitis exemplo, quem spiritus egit opimam
In cithara versare manum: renovaberis inquit
More aquilæ, qua lege datur sentire, probatis
Laude placere typi, quod firmant cantica justi.
Nec vacat ars Pauli socio celebrata sub ipso
Secreti virtute boni; tentoria quippe
Fortia mobilibus fabricabat in aggere tectis,
Longius hæc abiens peregrinus ubique viator
Erigit, atque hiemes, solesque his pellibus arcet.

Nos quoque per culpam prima de sede repulsi
Exsilio mundi jacimur, via reddita tandem est;
Qua patriæ repetamus iter: munimina nobis
In castris sint Paule tuis, ne criminis imbres
Tempestas mundana ferat, scelerumque vapores
Ignitus tentator agat, sub tegmine tali
Tuta salus nullum discriminis excipit ictum,
Nec prostrata feri succumbit viribus hostis;
Mystica signa duces præmittunt laudibus artes.
Pisces Petrus agens, homines capit, æquoris hospes
In sacris persistit aquis, habitacula Paulus
Dum terrena levat, docet, ut cœlestia condat.
Factaque sæpe manu, nunc construit atria verbis.

Ulteriora sequens lustratis finibus arva
Conveniens Ephesum Paulus docet, atque ibi quosdam
Prospiciens astare viros, an spiritus almus
Venerit his quæsitor ait, qui fonte Joannis
Se dudum maduisse ferunt; nam nominis hujus
Expertes huc usque trahi, quos flumine sacro
Abluit, et sanctus mox spiritus ora replevit
Verborumque dedit solitis virtutibus imbrem.
Sæpius arma movent ista de parte profani,
Et bellare parant, quibus ut contraria possim
Fundere tela loquens, tu nunc mihi largius ora
Spiritus alme riga, sint ut tibi dogmata digna
Quæ dederis, tu vocis iter, tu semita linguæ,
Tu dicture veni, qui per tua munera semper
Quod reddamus agis, donique resuscipis usum.
Nomine venturi præcursor in orbe Joannes
Exhibuit baptisma suum, Dominoque paravit

Ipse viam, memorans cunctis baptisma futurum,
Post aliud quod jure datur, quod trina potestas
Illustrare solet; sed quod magis eligit hujus
Tangere Christus aquas formam facit omnibus ad se
Currere fonte pio: sacram ne deserat undam
Ulterius mortale genus, quam corpore mundo
Et Dominus dignatus erat, cum deluit amnem
Per famulum mergente Deo, jam flumine tacto
Discipulis hoc cessit opus, quos dogmate plures
Baptizasse canunt: servi cessare lavacrum
Fas fuerat veniente Dei prænuntius, ex quo
Dixerat ista prius quo tempore fecit Iesus
Jam plenum baptisma geri: velut ante Joannes
Cur solitum propriumque daret? quæ regula Paulum
Compulit ut Christi deberent fonte renasci,
Quem non venturum, sed jam venisse Joannes
Insinuans, digito, cœlestem prodidit agnum
Hunc peccata canens a cuncto tollere mundo.
Quid geminum baptisma cupis simulare profane?
Dissona non iterant, repetitio rem tenet ipsam
Non aliam, bisque illa foret quæ primitus esse
Cœpit, et ipsa redit; nam cum discordet origo
Principii, finisque sequens, et singula dici
Et patet esse semel, nulloque errore gravantur,
Quæ collata simul possunt divisa probari.
Cum tamen hæretica nigredine plenus averni
Polluitur quicunque lacu, si lumen habere
Ecclesiæ vult forte pie, non cogit ad undam
Nostra fides hunc ire iterum, quia nomine trino
Dogmata prava trahunt, nec qui, sed quod dare possint

Explorare solet, positæ quem vera fateri
Instituere manus, solusque repellitur error
In diversa trahens, quod spiritus efficit unum,
Hos etiam bis sex memorat scriptura fuisse.
O sacer et felix numeri modus! agmine fuso
Cum meruere cibi damnorum semine nasci
Juris apostolici, lata est tot gloria vasis.
Jam sermone potens Ephesi converterat urbem
Paulus, et æthereis fulgebat gloria signis:
Cumque per innumeros mutarent saucia morbos
Corpora, nec miseros operata reficeret ægros
Artificum medicina manu, velamina sacra
Absentes petiere sibi, quibus adfuit ardens,
Ut caderet vapor ille, fides, finemque calori
Altera flamma daret, semicinctia denique Pauli,
Atque oblata palam sudaria fusa per artus
Languorum pressere focos, membrisque repostæ
Ad nihilum fluxere lues: vigor omnia curans
Tactus erat, nullæque domus a munere cessant,
Quod medica de veste ferunt; virtute sub ipsa
Spirituum quoque turba minax, velut irrita fumi
Pars per inane fugit, ne fabrica pulchra creantis,
Quæ plasmata solo cœlestis imaginis instar
Traxit, et auctoris speciem pro pignore gestat.
Hospite sit polluta suo, templumque decoris
Inficiat prædonis odor, quo tempore septem
Judaica de stirpe viri nova prælia tentant,
Sic prius affati, quem Paulus nomine Jesum
Prædicat, hunc tibimet pariter præponimus et nos,
Pervasum dimitte locum: vox reddita contra;

Qui sit Christus ait, qui Paulus, sentio, nam vos
Ignotos vitare licet; cognosce furorem
Gens inimica tuum, dæmon regnare fatetur,
Quem venisse negas, atque hoc convinceris ipso,
Quo stimulante ruis, cui non datur ore placere,
Quod terrore movet, contraria dicere voto
Causa Dei prohibet, quam lex comitatur amoris.
Hæc est vera fides, quæ tunc spectacula plebi,
Quamve triumphalem Domino vincente coronam
Contigit inde geri? rabido cum murmure frendens
Dæmonis ira suis bene noxia rumpit amictus:
Dissecat et facies, fugiuntque pericula victi,
Nudaque præcipiti convertunt terga pavore.
Quid Judæa ferox jam non de clade timebis?
Quæ socio sic hoste peris, cui criminis auctor
Punitorque idem est? ne sit te judice pulsus,
Qua simul est peccante reus. mox fama per urbem
Sparsit ubique volans, et dæmonis edere vocem,
Quod virtus est summa Dei; concurrere gaudent,
In latices intrare pios, maculasque vetustas
Fonte lavare novo, sanctisque nitescere lymphis,
Equibus una datur, simul insons omnibus ætas:
Ast alii magicis ponunt incendia libris,
Ut mereantur aquas, et vitant ignibus ignes.
Ardua flamma nimis, cujus super æthera fulgor
Evolat, et cœlum tales petiere favillæ.
Quinguaginta etiam pretium posuere libellis
Millia nummorum, quoniam meruere nocentes
Sic abolere nefas, hujus hæc causa figuræ est.
Lege sacer numerus delicta resolvit, ut olim

Deluit in toto David sua crimina psalmo,
Contractusque fugat, nam quinquagesimus annus,
Cum jubilæus adest, proprii distractio ruris
Antiquo donatur hero, servire coactus
Libertas amissa petit, mala debita laxat
Creditor, et lumen patriæ vetus aspicit exsul:
Quinquaginta etiam cubitis distenditur arca,
Quæ depressa vadis, atque æquore tuta salutem
Sub numero pietatis agit, servataque crescit
Per spatii parcentis opem; quia Christus ubique
Condidit ecclesiam venia fabricante capacem,
Quæ sic cœpta fretis latissima funditur arvis.
Infelix Ephesi Demetrius arte locabat
Sacrilegis delubra locis, argentea suetus
Solvere vota suæ pretio majore Dianæ,
Cedere cuncta videns prisci monumenta furoris
Ingemit, et vanas his vocibus excitat iras:
Non pudet o socii nostram cecidisse Dianam,
Quam mundi suspexit honor! mortalibus ultra
Quæ speranda salus, si non per secula possunt
Fine carere dii? quæ nunc simulacra sacellis?
Quæ poterunt dare thura focis? quos advena Paulus
Territat, et quidquid gerimus pro nomine divum,
Muta metalla vocat, quorum discedit ab orbe
Relligio, pulsique fugam petiere pœnates.
Hei mihi jam video subitis lapsura ruinis
Condita fana diu, templi quoque nobilis ædem
In cineres, stragemque dari, quam prendimus arcem,
Quamve tenemus opem? quibus interclusa facultas
Est operum, crimenque foret fecisse Dianam?

Pergite, tempus adest, labor ultimus omnia secum
Si desperet habet, sola est vĩa vincere victis:
Formidare nihil, restat sors certa triumphi
Pro superis movisse manus, insurgite telis,
Et quam vota deam celebrent; hanc arma reposcant.
His dictis plebs mota fremit, magnamque Dianam
Communi clamore vocat, ac præpete cursu
Itur in obscœnum cum seditione theatrum.
Non alio decuit causas, meritumque Dianæ
Lascivo tractare foro; capit area turpis
Concilii deformis opus: tamen impetus amens
Fluxit, ut in vacuas oculis qui labitur auras
Nullaque dispersus retinet vestigia fumus.
O miseranda manus, cui tu præstare laboras,
Perpetuam cur esse putas? te teste sacellis
Eruitur fugitiva suis, quo jure pavescis,
Qua pereunte doles, cœloque adjungere tentas,
Quam terris remanere negas. Nunc ordo figuræ
Explorandus erit, latebrisque videndus apertis
Dicitur e solo Demetrius atria demens
Argento posuisse deæ, cum plura capaci
Protulerit natura sinu, quibus ista metallis
Fingeret, ut fusis animentur vultibus æra;
Ingeniique manus promittunt munere cautes.
Quod si sanctiloquos volvamus ab ordine libros,
Inveniemus iter, puris quia sensibus aurum
Comparat, argentum nitidis scriptura loquelis:
Nam psalmus licet ista canat, tamen inclyte Moses
Altius hæc memoras populo cum talia dicas.
Aurum, atque argentum templorum ferte decori,

Quod jacet interius menti, non dura metalli
Materies sub corde latet, sed apertius illud
Exagitat, quod Christus amat, mens obtulit aurum,
Cui fuerit pretiosa fides, pariterque ministrat
Argentum, cui voce sonant bona tympana cordis,
Ut Dominum duo juncta colant, de pectore sensus,
De sermone sonus, sic aurum dogmata legis,
Argentumque petunt hoc ad pia templa parari.
Nos quia templa sumus, si crimina cuncta recedant
Præscia verba monent, quod apostolus ipse revelat,
Corde salus credentis erit, confessio voce.
Sacrilego res una fuit: Demetrius ædes
Condidit argento, cujus facundia movit
Hos animos, ut norma probet sine judice sensu
Numina vana coli, nec de virtute venire
Pectoris istud opus, cui pars hæc sola dicatur,
Quæ rationis inops nudam ferit ore loquelam.
Tu quoque signa ferens titulos in carmine nostro
Troja repone tuos, et laudibus adde triumphos,
Qui magis ex vero fulgent tibi clarius actu,
Quam quos pomposo reboant tua bella cothurno.
Lingua colona Dei cum semina feta saluti
Spargeret, in seram produxit tempora noctem
Plus animis factura diem; micuere coruscæ
Lampades, ut verbi lucerent igne fideles:
Solus ab excubiis vivacibus Euthycus exsul
Mersa sopore gravi commisit membra fenestræ.
O male parta quies, o semper dedita somno
Pectora nuda bono! quantis patet ille ruinis,
Quem nox sola tenet, nunquamque resuscitat ægrum

Ad meliora caput, nescit vigilare periclo,
Qui patitur dormire Deo, quid inane fenestræ
Quæris adulte chaos, quidve hac in parte quiescis?
Qua ruiturus eris? res est inimica saluti
Pendula celsa sequi, futuraque somnia prono
Carpere velle toro; poteras meliore cubili
In verbo recubare Dei, Pauloque monente
Ejus velle aditum, cui lumine pervia recto
Janua nomen inest, per quam de fonte levatæ
Ad vitam gradiuntur oves, hanc quærite cuncti,
Si rabidas fauces cura est, morsusque cruentos
Evitare lupi, cujus lacerabitur ore
A pastore fugax, qui sparsos vocibus agnos
Evocat, atque gregem propria de morte redemptum
Non sinit insidiis, et amari vulnere dentis
Rursus ab hoste capi: mœsto sonuere tumultu
Atria; concurrit gemitu miserata frequenti
Turba videre locum, qui funere tristis acerbo
Lætitiam facturus erit, cui Paulus adhærens
Pectore vivit ait, quam vocem vita secuta est,
Morsque repulsa fugit: quantum tua Christe potestas
In famulos operata dedit, tu redditus astris
Æqualisque patri de majestate perenni
Jura superna regis, sed quod caro corpore matris
Virginis orta tibi regnum spoliavit averni,
Vivaque de proprio revocasti membra sepulcro,
Teque probans voluisse mori, qua parte resurgis,
Ex qua natus eras, qui ferrea vincula solvis:
Lux aliis alterna redit te auctore, simulque
Exemplo donata tuo, qui subdita dudum

Cogis, et electis succumbere tartara servis.
Interea felix surgit de morte cadaver
Et meliore via tria per cœnacula sospes
Ducitur ad Paulum, cujus conspectibus insons
Cœpit adesse puer, vitæ jam dignus honore,
Cum lethi convertit iter, quæ gloria facti
Instruit ad veterem causas aperire figuram.
Fulta tribus cameris Noe describitur arca
Ecclesiæ documenta gerens: stetit ordine primo
Pars hominum, pecudesque gradum tenuere secundum;
Tertia sors addicta feris, quæ cuncta per undas
Arca quadrata tulit, velut in baptismate fontis
Omnibus est nunc una salus, sed moribus unus
Non valet esse locus: nam nidos fertur in illa
Ædificasse Noe, quem justum dicit Hebræus,
Et requiem, quod Christus inest, qui dividit æquus
Præmia certa suis: quisquis virtutis amator
Jungitur alta petens. Noe stat proximus; infra
Ingenio breviore minor sors dedita sævis
Tartareum tenet ima sinum: sic Eutychus ergo
Prima parte cadens inferni perditus oris
Hæsit, et humana vacuus ratione ferarum
Cœpit habere locum, cui postquam pectore Paulus
Incubuit, verbumque suum sapientia fudit,
Ore levans animam carnali lege peremptam
Ad Dominum de morte redit, quod epistola clamat,
Qui dormis jam surge citus, rursusque perurget,
Tuque vigil de morte leva: super ardua trina
Promeruit jam stare puer, quia dogmate trino
Comperit æterne, quæ sit substantia vitæ.

Jamque peragratis Paulus stationibus orbis
Ad Solymam venturus erat, quo spiritus illum
Pergere sæpe monet, cupiens in littore noto
Perpetuum memorare vale, simul undique sacros
Evocat, has reddens claro de pectore voces:
O dilecta manus, quæ Christi militat armis,
O summo plebs nata Deo, meministis amoris
Et studii documenta mei, gentilia promptus
Agmina judaicosque tuli sine fine furores,
Ut vitæ præcepta darem, nullumque lateret
In populo narrata fides, a sanguine vestro
Mundus semper ero, nec debitor oris avari
Clausa talenta luam, sterilemque in semine verbi
Jejunus culpabit ager: vos convenit inde
Usuram præstare piam, cum venerit auctor
Qui meriti discussor erit, servosque reposcet
Mensuræ crementa suæ: mihi germina ferre
Sensibus ardor erat, quæ passim credita sulcis
Sparsimus, at fructus tenues mala terra dolebit.
Vado videre Crucis venerandam gentibus urbem,
Quo me jussa vocant, varii luctamen agonis
Hic dabitur certare mihi; nam cuncta subibit,
Qui cursum complere volet, mitissima sors est
Pœnarum, quas vota gerunt, regnique facultas
Perpetuo pro rege pati: servate ministri
Ecclesiam Christi, pretium quam sanguine nobis
Fecit in orbe suo: famuli retinere laborent,
Quod Dominus de morte dedit; non cernitis ultra
Jam faciem, vultusque meos; vigilantius oro
Commissos lustrate greges, quia dente rapaci

Conveniunt ad ovile lupi: custodia peccat,
Cum spoliis si raptor eat: pastoris inertis
Fraude perit, quod prædo capit, sed et acrior hostis
Intus erit, graviusque malum discordia portat,
Quæ vulnus sub pace creat, nec cedite duris
Virtuti damnosa quies, nullumque coronat
In stadio securus honor: sua gloria forti
Causa laboris erit, rarusque ad præmia miles,
Cui pax sola fuit, victoria semen ab hoste
Accipit, hinc oritur: Dominus plantaria vestra
Fecundare valet, qui per sua dona venire
Ad sua dona facit, quodque adjuvat ipse ministrat.
Non ego divitias fluxu fallente superbas
Alterna mercede tuli, nec munera sumpsit,
Vos potius quam vestra petens: me scitis, ut istæ
Cum sociis pavere manus, assuescite, gazas
In lucis proferre vias, opertumque locare
Thesauros in sede poli; nil proderit aurum
De fossis quæsisse locis, si claudat avarus
Quod cælabat humus, quod non in paupere surgit,
In tellure jacet, cæcoque revolvitur antro
Obscura peccante manu; laxate supernis
Corda precor monitis, neque respuat ullus egeno
Tecta parare gregi, in quo suscipit hospite Christum.
Sic postquam fatus dedit oscula, tum simul orans
Flexit in arva genu, strictique doloribus omnes
Ad lacrymas fluxere pias, longeque per undas
Obtutu comitante sequi meruere carinam.
Dumque per oppositas extendunt lumina nubes,
Additur in pelagus oculis via, raptaque flabris

Puppis adhuc nota est, et mulcet imagine mentes,
Affectuque animi crescit mensura videndi.
Sed quod ait tribus hæc annis præcepta salutis
Nocte dieque dedit, patet hac ratione figura,
Qui canit ecclesiæ tria dogmata, sæpius edit
Historicum morale sonans; typicumque volumen,
Sic etenim ternas capiunt sex vasa metretas,
Quæ veteri de lege novo rubuere liquore.
Forma sacrificii perfecti prisca canistro
Tres panes offerre jubet, quibus additur illud,
Discipulis quod Christus ait, jam nocte roganti
Tres panes debere dari: nox ista profecto est
Mundus, ut hic si quis verbi desiderat escas,
Exhibeas quæsite dapes, doceasque volentem,
Quod pater et natusque sanctus spiritus unus
Sint Deus, et numerum triplicat substantia simplex.
Nec semel hæc pia jussa canunt: angariat inquit
Te quicunque petens; ut pergas prævius unum,
Cætera vade simul duo millia, nonne videntur
Hoc mandata loqui? si quis te consulit errans
Ignarusque viæ, quod sit Deus edere magis
Prode patrem, subjunge libens quod filius, et quod
Spiritus est almus, numero tres, et tamen unus.
Hinc Judæa vacans, sterilis quæ dicitur arbor,
Exspectata tribus fructum non attulit annis,
Quod triplici spernens tractare volumina sensu:
In fidei numeris nescit dare munera Christo.
Nobile jam templum Salamonis Paulus adire
Cœperat, et veteris solemnia reddere legis.
Corripit hunc judæa manus, rabidoque tumultu

Conclamant necis esse reum, sed in arma tribunus
Evolat, et vinctum geminis jubet ire catenis,
Quæ tamen astrictis incumbunt dura lacertis
Non animum tormenta ligant, quod epistola Pauli
Lumine plena canit, vinciri posse ministros,
Vinciri non posse fidem, verbumque teneri
Suppliciis non esse datum, gradibusque sub ipsis
Constitit, hebræo plebi sermone locutus:
O fratres patresque viri me noslis in oris
His venisse rudem, doctrinæ deditus omnem
Legis amore fui; vobis modo testibus utor,
Quorum scripta ferens ardebam cæde Damasci
Christicolas punire greges, et finibus orbis
Hanc prohibere fidem; sed non mortalia possunt
Auctori certare suo: descendit ab astris
Aucta dies latuit, caligantesque tenebræ
Lux, oculos clausura meos, et ab igne corusco
Orbibus incumbunt, quarum mihi tempore crevit
Adveniens cum nocte jubar; discernere causas
Eventus post facta solet; bene vidimus umbras
Usuri jam sole novo, sed et auribus hæsit
Clamor ab ore Dei, repetito nomine Saule,
Me Christus terrore quatit, ne signifer ultra
Auderem bellare sibi: quo jure negabo,
Quo feriente cado? cujus de munere pronus
Attollor meliore via, per quæ ardua surgo,
Sublimisque sequor felicia dona ruinæ.
Jam satis o cives crudelia novimus arma!
Nil dubium pars illa docet, quæ teste beata
Fungitur hoste suo: quid adhuc libet esse nocentes?

De tenebris lucere meis, cui fontis ab undis
Est visum largita fides, et mortis imago
Vivere cœpit aquis: heu nunquam saxea tellus
Seminibus fecunda suis, vacuique labores
Qui sterilem patiuntur humum: post denique Jesus
Hæc mihi visus ait; procul hac procul urbe relicta
Pergere Paule para, non est tibi credula nostri
Nominis, ad gentes potius cane verba salutis.
Protinus hanc vocem querulæ rapuere phalanges,
Projiciunt vestes, ac pulvere longius acto
Ventosa levitate fremunt, varioque furore
Personat in Pauli rapidum discrimina vulgus.
O Judæa nocens auctorem perdere vitæ
Cum cuperes sic dicta dabas! fuit optio linqui
Quem velles clamosa tibi, sed ab ore cruento
Triste petis malesuada nefas, et gaudia paschæ
Electo latrone colis, geminasque furorem
Sæva pio placata reo, certamine cuncto
Te spolias, vacuamque locas, cum durior ipsis
In Stephanum tormenta jacis, deponis amictus,
Et nunc veste cares, primi quia pœna parentis
Est cognata tibi, veterisque in corpore portas
Transgressoris onus, contraria fontis honori
Ne renoveris aquis. Adam sub criminis ortu
Cognovit quod nudus erat, documentaque noxæ
Hinc misero patuere suæ: te mortis origo
Crebra subit, cui plena malis interserit ira
Bis habitum quem culpa creat: jam bella tribunus
Vocibus his ardere videns, fera vincula Paulo
Addidit, et castris torquendum misit iniquis;

Nota querela locis ut sit superanda canemus.
Paulus gesta loquens socios ibi lumina dudum
Conspexisse suos, vocem tamen auribus illam
Non hausisse refert; at tunc quo tempore cæcus
Decidit, et vocem comites audisse leguntur:
Sic variat narrantis opus, sed utrumque necesse est
Concinat, haud dubium; nam tunc audisse feruntur
Accepisse sonum, nunc non audisse profecto:
Hæc rationis erit simplex via jure negatur
Vox, quoniam confusa loqui, neque creditur illud
A sermone dari, quod non in pectore condit
Accipiens, dubia tantum stimulatus ab aure,
Ambiguus fragor solas deverberat auras:
Sic audisse simul, sic non audisse leguntur,
Altera pars sonitus, certa est pars altera vocis,
Et fert atque refert geminam res illa figuram.
  Agmina supplicii ferventia corpore Pauli
Pœnarumque graves evolvere versibus iras
Causa monet, sed lingua pavet: fugiamus ab ista
Parte dolor, veritique nefas tam triste premamus,
Eloquium ne forte legens sua fletibus ora
Compleat, et largis humescat pagina guttis.
Nec tamen hæc poterant animos satiare cruentos,
Ardet amor scelerum, cupiuntque in sanguine Pauli
Sacrilegas versare manus, quæ dura malorum
Vota quaterdeni vesanæ stirpis alumni
Imposuere sibi, non ullum sumere potum
Primitus atque cibum, quam parta cæde daretur
Hinc magis esse dapes: o pallida mortis imago!
Pocula sunt judæa tibi meliora cruoris

Quam laticis, nullasque volens contingere mensas
Esuris ad facinus, saturamque cadavere justi
Quæris habere famem : non hæc jejunia Moses
Condidit exemplo, tot consummata diebus.
Ut memoras, quot tela moves, totque inspicis annis
Secretas patuisse vias, ubi divite nimbo
Fluxerunt de rore cibi, rupesque vicissim
Arida fudit aquas, in quo meruere parentes
Divina bonitate frui, donisque supernis
Enutrire animas ; numero crudelis ab ipso
Tu sævire venis, pollutaque fœdera jungis
Agminis, ut plures faciat mors una nocentes.
Comperit hæc Lysias Pauli vulgante propinquo,
Quo ve parent adversa loco : monet ocius ergo
Clam sua jussa tegi, noctisque in tempore cautus
Obscurum prævenit opus, lectisque maniplis
Imperat, ut tuto Paulum comitentur honore.
Gloria de meritis a te delator honeste
Non aliena foret, quodque est ad præmia rarum
Proditione places, nec te constantia lædit,
Quam sceleri servare times, in crimine virtus
Crimen erit, cumque ad facinus sociantur iniqui
Est ibi culpa fides, quam tunc in laudibus ornat
Verus honor, cum culpa pia est : stipantibus armis
Cæsaream mox Paulus adit, quo turba cucurrit
Rhetore fulta suo, qui præsidis aure potitus
Irrita verba dedit ; contra sic denique Paulus :
Optime præses ait, dudum te novimus omnes
Justitiæ documenta sequi, comitemque modestam
Consiliis hanc esse tuis : quæ gratia suadet

Fidere, nec dubium tali sub judice fari?
Non legis, templique pium violavimus usum,
Nec sermone vago populares movimus aures,
Urbibus ex Asiæ venientes solvere dona
Cœpimus, ad purum semper spectantia votum.
Quis rogo liber erit, si res facit ista nocentem?
Eloquar haud metuens (neque enim discrimina novit
Formidare fides,) audent quam dicere sectam
Luminis esse viam, nec discordare novellis
Jura vetusta patrum; fas est modo credere cunctos,
Corpora de tumulis jam posse resurgere, postquam
Detulit inde suum, qui condidit omnia Christus.
Obstupuit felix amisso nomine, vincla
Quem faciunt aliena reum, quorum obice Paulus
Stringitur, et festi servatur præsidis anno.
Linquimus hic nimium, ne gaudia nostra morentur,
Ad latium jam Paule veni, certamine crebro
Quæ fuerint agitata foro, quantique legantur
Judaici fluxisse doli; nam talia Paulus,
Cæsaris ad solium vos provoco: Cæsaris inquit
Appello Romanus opem, cui festus abibis,
Ut cupis Augusti citius visure tribunal;
Nam stimulante metu, fugiens discrimina Paulus
Judicii vitavit onus, mens anxia semper
Pro vita meliore mori, sed muneris auctor
Præconi, testique suo jam dixerat olim,
Quod Romam venturus erat: clementia Jesu
Omnibus in terris fidei sitientibus haustum
Pocula dat de vase suo, cunctosque rigari
Multifluo sermone jubet, meruitque venustas

Nominis occidui de lumine crescere verbi.
  Solverat eoo classem de littore vector
Austri nactus opem, cujus spiramine læta
Crebrescente via, velique patentibus alis
Æquora findebat puppis; sed mite quid unquam
Ventorum tenuere doli? mox flatibus euri
Rupta quies pelagi, tumidisque incanduit undis
Cærulei pax ficta maris: furit undique pontus,
Attollensque suas irato gurgite moles
Denegat arreptæ vestigia certa carinæ,
Quæ suspensa polis, dejectaque jungitur arvis
Terrarum cœlique sequax: caret artis amicæ
Præsidiis manus apta rati, gelidoque pavore
Deponunt animos, nigroque sub aere cæci
Naufragium jam jamque vident, clausoque profundo
Mortis imago patet: vastas percurrere syrtes
Historica ratione vocor, lacerosque rudentes
Et clavi fragmenta sequi; sed non ego linguam
Tam fragilem committo vadis, rabidasque procellas
Aufugiam tentare diu, ne forte canenti
Obruat exiguam violentior unda loquelam.
Tangere pauca libet; tutas conabor arenas:
Prævia fluctivagæ latuerunt sydera puppi,
Nec solis radiis sub nubibus emicat axis:
Cumque dies multos jam rite peregerit orbis,
In pelago nox una fuit; quo tempore nullis
Indulsere cibis: quanta est heu pœna timoris,
Supplicium nescire famis! dat semina causis
Res mala sæpe bonis: tam clari nautica pubes,
Militiæque cohors hominis tempsisset honorem

Prosperiore freto, cujus custodia tandem
Solvitur, et sævo venerantur ab æquore vecti,
Quem portum sensere suum: gerit illa ruina,
Ne lateat, quod Paulus erat, sanctusque patescat
Assertore mari; raptisque elementa laborant
Luminibus monstrare virum, mediisque tenebris
Apparet radiata fides; fit laurea justis
Ex pretio, quod terror agit, mansuraque virtus
Crescit in adversis, quæ testibus usa periclis
Ad meritum discrimen habet: stans denique Paulus
Conclamata piis animat sic pectora verbis:
O utinam nostris noluisses fida juventus
Consiliis parere prius, ne littora Cretæ
Linqueres, insani rabiem passura profundi!
Non pelagi cœlique minas non triste tulisses
Jacturæ populantis onus, nec turbine tanto
Desperata salus gemeret confinia mortis,
Quæ tamen humanum transcendunt gaudia votum,
Hæc facile est præstare Deo, cui muneris usus
Hic potior, quem nemo putat; nam missus ab astris
Angelus hæc placido veniens denuntiat ore:
Quam turbam vehit ista ratis, tibi rector olympi
Contulit, ut nullis figatur naufraga saxis,
Credite vera forent, nec spe frustabor inani,
Qui merui promissa Dei, concessaque nobis
Insula portus erit, cujus statione licebit,
Arrepta tellure frui, navisque solutæ
Prospectare gravem nullo discrimine casum.
His dictis ruit ira maris, sublataque dudum
Lux revocata micat, velamine noctis aperto

Pandere visa solum, quod præbuit hospita nautis
Sicanio lateri remis vicina Melite.
Ante tamen rabidos quam vincant æquoris æstus,
Solvite, proclamat Paulus, jejunia fessi.
Ex quarto decimo, sicut nos vescimur, inquit,
Jam panem gustate die. Memoranda figuræ
Sacramenta piæ valeant, qua lege probemus.
Tempore quo primi fulserunt lumina mensis,
Hoc numero currente die, de carnibus agni
Turba jubetur ali, quarum munimine tacto,
Libera niliacas meruit vitare tenebras.
Hinc spatio simili Paulus de gurgite mundi,
Quos auferre cupit, secum convivere suadet,
Et sacrum libare cibum, vestigia Mosi
Observata legens, quorum speculantibus actum
Hæc duo sunt diversa locis: sed proxima causis,
Et repetita salus uno de fonte levatur.
Agnus Christus inest, panis quoque Christus habet
De cœlo, quod et ipse docet, qui corpore Jesum
Sumpserit hoste caret, nec jam sua jura Pharao,
Ægyptusque tenet: mox omnia dæmonis arma
His merguntur aquis, quibus ille renascitur infans,
Qui captivus erat, salsæ quoque fluctus abyssi
Linquitur, et tetri superantur stagna draconis,
Ereptoque gregi largitur pascua Christus,
Nominibus propriis, pastoriam verus edendi.
Hinc etiam ecclesiæ gerit aurea luna figuram
Quæ quarto decimo de primæ lampadis ortu
Conspicitur jam plena die, quæ a corpore Jesu
Crevit in orbe suo, lucem factura perennem.

Pelleret ut Paulus crescentia frigora nimbis
Contulerat sarmenta focis, cui vipera fixit
Dæmonis arma ferens surgentibus obvia flammis
Antiqua feritate manum, gelidique veneni
Vulnus in igne dedit: quid adhuc male noxia serpens,
A Domino revocare cupis, veteresque rapinas
In legis novitate paras? quid mortis amatrix
Cujus es ipsa parens, instauras bella redemptis?
Prædo venis, sed præda jaces, lethumque ministrans
Arboris alterni consumeris improba ramis,
Postque crucem Christi mors est tibi portio ligni.
Haud procul hinc aberant agrestia corda gerentes
Barbarica de gente sati, qui munere diro
Insonuere simul: satis est ex crimine fusi
Sanguinis iste reus, nullis jam tutus in oris
Cui pelagus tellusque furunt mortalia tractant,
Et divina probant: digito nam bestia pendens
Excutitur, projecta rogis, bene reddita flammæ,
Quam dedit ipsa prius, quæ culpæ protulit ignem,
Unde gehenna calet, glacies tepefacta veneni
Solvitur in cineres, gelidæque superbia pestis
Ex ardore perit: focus hinc rapidique vapores
Non solitas vires capiunt, atque arida secum
Nutrimenta ferunt; sed tu modo de coquis anguem
Usa tuo fervore fides: tibi subditur hostis
Frigidus, inque vicem faciens incendia flagrat,
Vipereo fumante gelu; veniente tumore
Labi posse ferunt; quantum per inania currit
Mens ignara boni! jam tunc de corpore Pauli
Virus abest, oculis cum squameus exiit horror,

Quem serpens antiqua dabat; purgatus in amne
Æthereo, Christique cruci sua membra religans,
Nescit ab angue mori: vorat hæc, quæ flamma venenum
A sacris vim sumpsit aquis, quibus ustus anhelat
Qui dolet ad patriam veteres remeare colonos.
Incolumen sic stare diu mirata juventus
Hunc ait esse Deum: tandem rudis incola disce,
Qua regnat virtute polis, qui talia confert
Ut famulos hoc esse putes. Nunc causa figuræ
Plenius in clari cernenda est munere facti.
Anguis origo necis (nam mors hinc edita nomen
De morsu peccantis habet) contraria justis
Vult retinere manum, quoniam manus apta ministrans
Jure vocatur opus; talem qui senserit hostem
Impiger excutiat, Dominique vaporibus urat.
Paulus ut admoti cognovit furta pericli
Serpere velle sibi cœlestia tela capescens
Pressit in igne dolos, cujus de fomite crescens
Est accensa fides, et sensibus additus ardor,
Hincque calor populis processit ab ubere fontis.
Mensibus hybernis tribus in regione Melite
Multiplicem dat Paulus opem; Publiique parentem
Finitima de clade levat: quo munere viso
Undique præcipites subitam rapuere salutem.
Pullulat interea nitidi coma frondea veris,
Quo juvenescit humus, senio fugiente pruinæ,
Suscipiensque ratem velis credentibus auster
Præbuit aligeras placidis in fluctibus undas,
Hunc spirare decet, quem personat ore propheta,
Qui speciem fidei torrentem cantat in austro.

Sic quoque prostratis ad gaudia nostra procellis
Plurima quæque legens distinctis oppida vicis
Venit ad excelsæ sublimia culmina Romæ.
Altius ordo petit duo lumina dicere mundi
Convenisse simul, tantisque e partibus unum
Delegisse locum, per quem sua sydera jungant
Omnia, qui fidei virtutibus arva serenant.
Quæ licet innumeris tendatur causa figuris
Pauca referre volens, iisdem præstantibus edam.
Petrus in ecclesiæ surrexit corpore princeps,
Hæc turrita caput mundi circumtulit oris:
Conveniunt majora sibi, speculentur ut omnes
Terrarum Domino fundata cacumina sedes.
Gentibus electus Paulus sine fine magister
Æquus huic, præsens oris diffudit habenas,
Quæ gentes prælata monet; quodque intonat isthic
Urbis cogit honor subjectus ut audiat orbis,
Dignaque materies Petri Paulique coronæ
Cæsareas superare minas, et in arce tyranni
Pandere jura poli, summumque in agone tribunal
Vincere, ne titulos parvus contingeret hostis.
Ægyptus mundi formam gerit, inde vocari
Quæ meruit ducibus plebs est commissa duobus,
In quibus officium fraternus nexuit ortus.
Idola tot Romæ mundo collecta subacto
Quæ fuerant tenebris obnoxia corda premebant.
Liber et populus quem vinxerat ante Pharao,
Exuit Ægypti totidem ductoribus umbras,
Perque lavacra Dei, quæ tunc maris egit imago,
Vitæ nactus iter, cœlestem repperit escam.

His etiam germanus amor, quibus amplius actus,
Quam natura dedit, geminos quos edidit astris,
Non eadem, tamen una dies, annique voluto
Tempore sacravit repetitam passio lucem,
Et tenet æternam socialis gloria palmam.

LACTANTIUS.

34.

FIRMIANI

LACTANTII

CARMINA.

DE RESURRECTIONIS DOMINICÆ DIE.

SALVE festa dies, toto venerabilis ævo
Qua Deus infernum vicit, et astra tenet;
Tempora florigero rutilant distincta sereno,
Et majore poli lumine porta patet:
Altius ignivomum solem cœli orbita ducit
Qui vagus oceanas exit et intrat aquas.
Armatus radiis, elementa liquentia lustrans,
Hac in nocte brevi tendit in orbe diem;
Splendida sincero producunt æthera vultu,
Lætitiamque suam sidera clara probant:
Terra ferax vario fundit munuscula fetu,
Cum bene vernarit reddit et annus opes;
Mollia purpureum pingunt violaria campum;
Prata virent herbis, et micat herba comis;
aulatim subeunt stillantia lumina florum;
Floribus arrident gramina cuncta suis:
emine deposito, late seges exsilit arvis,

Spondens agricolæ vincere posse famem :
Caudice desecto, lacrymat sua gaudia palmes,
Unde merum tribuat, dat modo vitis aquam ;
Cortice de matris tenera lanugine surgens,
Præparat ad partum turgida gemma sinum ;
Subque hiemis tempus, foliorum crine revulso
Jam reparat viridans frondea tecta nemus ;
Myrta, salix, abies, corylus, siler, ulmus, acer, nux
Plaudit quæque suis arbor amœna comis.
Constructura favos apis hinc alvearia linquens,
Floribus instrepitans poplite mella rapit ;
Ad cantus revocatur avis, quæ carmine clauso,
Pigrior hiberno frigore muta fuit ;
Hinc Philomena suis attemperat organa cannis
Fitque repercusso dulcior aura melo.
Ecce renascentis, testatur gratia mundi,
Omnia cum Domino dona redisse suo ;
Namque triumphanti, post tristia tartara, Christo,
Undique fronde nemus, gramina flore favent;
Legibus inferni oppressis, super astra meantem
Laudent rite Deum lux, polus, aura, fretum.
Qui crucifixus erat, Deus ecce per omnia regnat,
Dantque Creatori cuncta creata precem;
Mobilitas anni, mensum, lux alma dierum,
Horarum splendor, scrupula cuncta favent ;
Hinc tibi silva comis plaudit quoque campus aristis
Hinc grates tacito palmite vitis agit ;
Hinc tibi nunc avium resonant virgulta susurro;
Has inter nimio passer amore canit :
Christe salus rerum, bone conditor, atque redemptor

Unica progenies ex deitate patris;
Irrecitabiliter manans de corde parentis
Verbum subsistens, et patris ore potens;
Æqualis, concors, socius, cum patre coævus,
Quo sumpsit mundus principe principium:
Æthera suspendis, sola congeris æquora fundis,
Quæque locis habitant, quæ moderata vigent.
Qui genus humanum cernens mersisse profundo,
Ut hominem eriperes tu quoque factus homo es;
Nec nostro voluisti tantum e corpore nasci,
Sed caro, quæ nasci pertulit, atque mori:
Funeris exequias pateris vitæ auctor, et orbis,
Intra mortis iter, dando salutis opem,
Tristia cessarunt infernæ vincula legis,
Expavitque chaos luminis ore premi.
Depereunt tenebræ Christi fulgore fugatæ,
Æternæ noctis pallia crassa cadunt.
Sollicitam sed redde fidem precor alma potestas.
Tertia lux reddiit, surge sepulte meus;
Non decet, ut vili tumulo tua membra tegantur;
Non pretium mundi vilia saxa premant:
Indignum est cujus clauduntur cuncta pugillo,
Ut tegat inclusum, rupe vetante, lapis.
Lintea tolle precor, sudaria linque sepulcro,
Tu satis es nobis, et sine te nihil est;
Solve catenatas Inferni carceris umbras,
Et revoca sursum quidquid ad ima ruit;
Redde tuam faciem, videant ut secula lumen;
Redde diem, qui nos, te moriente, fugit.
Sed plane implesti remeans pie victor olympi,

Tartara pressa jacent, nec sua jura tenent.
Inferus insaturabiliter cava guttura pandens
Qui raperet semper, fit tua præda Deus.
Eripis innumerum populum de carcere mortis,
Et sequitur liber, quo suus auctor habit;
Evomit absortam pavide fera bellua plebem,
Et de fauce lupi subtrahit agnus oves.
Hinc tumulum repetens, post tartara, carne resumpta,
Belliger ad cœlos ampla tropæa refers;
Quos habuit penale chaos jam reddidit iste,
Et quos mors peteret, hos nova vita tenet.
Rex Sacer ecce tui radiat pars magna tropæi,
Cum puras animas sacra lavacra beant.
Candidus egreditur nitidis exercitus undis,
Atque vetus vitium purgat in amne novo.
Fulgentes animas, vestis quoque candida signat,
Et grege de niveo gaudia pastor habet.
Additur ac felix concors mercede sacerdos,
Qui dare vult Domino dupla talenta suo.
Ad meliora trahens gentili errore vagantes,
Bestia ne raperet, munit ovile Dei:
Quos prius Eva nocens infecerat, hos modo reddit
Ecclesiæ pastos ubere lacte sinu.

DE PASSIONE DOMINI.

Quisquis ades, mediique subis in limina templi,
Siste parum, insontemque tuo pro crimine passum,
Respice me, me conde animo, me in pectore serva.
Ille ego, qui casus hominum miseratus acerbos,
Huc veni, pacis promissæ interpres, et ampla

Communis culpæ venia, hic clarissima ab alto
Reddita lux terris, hic alma salutis imago,
Hic tibi sum requies, via recta, redemptio vera,
Vexillumque Dei, signum et memorabile fati.
Te propter, vitamque tuam sum Virginis alvum
Ingressus, sum factus homo, atque horrentia passus
Funera, nec requiem terrarum in finibus usquam
Inveni, sed ubique minas, ubique labores.
Horrida prima mihi in terris magalia Judæ
Hospitia in partu, sociæque fuere parenti:
Hic mihi fusa dedit bruta inter inertia primum
Arida in angustis præsepibus herba cubile;
In phariis primos vixi regionibus annos
Herodis regno profugus, reliquosque reversus
Judæam, semper jejunia, semper et ipsam
Pauperiem extremam, et rerum inferiora secutus,
Semper egens monitis humana salubribus almæ
Ingenia ad studium probitatis aperta salubri
Plurima doctrinæ injungens miracula, quare
Impia Hierusalem rabidis exercita curis
Invidiæ, sævisque odiis, et cæca furore,
Insonti est pœnis lethalibus ausa cruentam
In cruce terribili mortem mihi quærere, quæ si
Latius ipse velim distinguere, sique per omnes
Ire juvet gemitus, mecum et sentire dolores,
Collige, consilia, insidiasve, meique nefandum
Sanguinis innocui pretium, et simulata clientis
Oscula, et insultus, et sævæ jurgia turbæ.
Verbera præterea et promptas, et ad crimina lingua
Fige animo, et testes, et cæci infanda Pilati

Judicia, ingentemque humeros fessa prementem
Terga crucem, atque graves horrenda ad funera gresus.
Nunc me nunc vero desertum extrema secutum
Supplicia, et dulci procul a genitrice levatum
Vertice ad usque pedes me lustra, en aspice crines
Sanguine concretos, et sanguinolenta sub ipsis
Colla comis, spinisque caput crudelibus haustum
Undique diva pluens vivum super ora cruorem,
Compressos speculare oculos, et luce carentes,
Afflictasque genas, arentem suspice linguam
Felle venenatam, et pallentes funere vultus,
Cerne manus clavis fixas, tractosque lacertos,
Atque ingens lateri vulnus, cerne inde fluorem
Sanguineum, fossosque pedes, artusque cruentos.
Flecte genu, lignumque crucis venerabile adora
Flebilis, innocuo terramque cruore madentem
Ore petens humili, lacrymis suffunde subortis,
Et me nonnunquam devoto in corde, meosque
Fer monitus: sectare meæ vestigia vitæ,
Ipsaque supplicia inspiciens, mortemque severam
Corporis innumeros memoras, animique dolores
Disce adversa pati, et propriæ invigilare saluti.
Hæc monumenta tibi, si quando in mente juvabit
Volvere, si qua fides animo tibi ferre meorum
Debita si pietas, et gratia digna laborum
Surget, erunt veræ stimuli virtutis, eruntque
Hostis in insidias clypei, quibus acer in omni
Tutus eris, victorque feres certamine palmam.
Hæc monumenta tuos si labilis orbis amicos
Avertent sensus, fugiente decoris ab umbra

Mundani efficient, ne spe captatus inani
Mobilis occiduis fortunæ fidere rebus
Auseris, aut vitæ sperare fugacibus annis,
Sed te nimirum, sic ista caduca videntem,
Secula, et exutum patriæ melioris amore,
Orbis opes, rerumque usus, et vota priorum,
Moribus extollens sacris, vitæque beatæ
Spe duras inter pœnas, te rore fovebunt
Cœlesti, pactique boni dulcedine pascent:
Purpuream donec post ultima fata relicto
Corpore, sublimes animam revocabit ad auras.
Gratia magna tibi tunc omnem exuta laborem,
Angelicos tunc læta choros, aciesque beatas
Sanctorum inspiciens, æternæ pacis amœna
Perpetuo felix mecum regnabit in aula.

DRACONTIUS.

DRACONTII

CARMEN DE DEO.

LIBER PRIMUS.

Qui cupiunt animis placidum rescire Tonantem,
Hoc carmen præ mente legant, dum voce recensent.
Agnoscent, quod templa poli, quod mœnia cœli
Auctorem confessa suum veneranter adorent,
Quinque plagæ, septemque poli, sol, lunaque, et astra,
Sidera, signa, noti, nix, imber, grando, pruinæ,
Fulmina, nimbus, hiems, tonitrus, lux, flamma procellæ,
Cœlum, terra, jubar, chaos, axis, flumina, pontus,
Vel quidquid natura dedit præcepta creare.
Hoc agit, et sequitur variis sub casibus iras,
Et pia vota Dei miseris hinc, inde beatis
Pro meritis morum, pro certo tramite vitæ.
Paupertas, mors, vita, salus, opulentia, languor,
Tædia, tristitiæ, splendor, compendia, damnum,
Gaudia, nobilitas, virtus, prudentia, laudes,
Affectus, mœror, gemitus, successus, egestas,

Ira potestatum, trux indignatio regum,
Omnia quæ veniunt, bona, gaudia, tristia, acerba,
Descendunt ex arce Dei, de sede Tonantis,
Cui pietas æterna manet, lux, spiritus, ardor,
Et cui dicuntur laudes sine fine perennes;
Et merito, quia fine carens primordia nescit.
Rerum causa Deus tetrum chaos igne resolvens,
Igne creata fovet, nam totum flamma vaporat,
Et flammæ pascuntur aquis, quibus omnia constant,
Nubibus, et radiis solis pascentia anheli.
Inde potens generare manet natura creatrix,
Inter se retinens, quidquid per secla refundit.
At pietas quia sancta Dei virtute modesta est,
Clade repentina nunquam punire nocentes
Assumit, cohibet pœnam, pœnamque minatur,
Conscia quo Dominum possit mens nostra precari,
Et peccatorum veniam non læsa mereri.
Sic impune reis licuit peccasse fatendo.
Ante prophetarum dictis patuere futura,
Sed postquam Christus descendit ab æthere, culpam
Dissolvens nostram, ne esset ignara, juvatur
Gens hominum, natura docet, quæcunque propinquant,
Ne lateat mortale genus, quod cuncta pericla
Præmonet ante Deus pius, atque elementa fatigat,
Prodigiis, signisque creent ut monstra timorem.
Nam sibi dissimiles sæpe expavere vel ipsæ
Quadrupedes partus, steriles fecundior artus
Accendit vapor, et pariturae viscera mulæ.
Nec modo quadrupedes: mulier, quæ protulit, horret,

Et pavet infelix enixa puerpera partus.
Sic peccata parant casus inferre sinistros.
Quid jam peccantes vita mereantur iniqua,
Significat damnans hominis natura reatum.
Quid fera, quid pecudes, quid peccavere volucres?
Quid cœlum, quid terra, polus, quid pontus, et astra,
Quid solis radii, quid lunæ frigidus orbis?
Nonne fatigantur dantes per tempora signa?
Nam ventura monet per tot præsagia corvus
Proditor, et sit quid post tempora certa futurum,
Cornix effatur; pecudes, volucresque loquuntur,
Quod hominis mala lingua tacet, fera bellua; pisces
Prospiciunt proprii generis servare figuras,
Contra naturam dum turpia membra rebellant.
Jam micat unde polo veniens quicunque cometes,
Hinc mortes, et monstra creat, hinc unda cruorem
Inficit, et spumis rubicundior alveus exit,
Hinc calidas pluit imber aquas, et roscida tellus
Sanguine puniceas spicis producit aristas,
Et viola est mentita rosam pallore fugato,
Ac rubor infelix et candida lilia tinxit.
Tertia sors erebi terræ prærumpit hiatum,
Et discit perferre diem, violare serenum
Audet, et exsangues cœlo producere manes,
Vivida funereis admiscens ora sepultis
Pestibus, herculeos mundo mentita furores;
Cum niger umbrarum veniens exercitus orbem
Appevit, invadens non humida tempora lunæ.
Auditum mugire solum, solisque tenebras
Quis neget, et stellas alieno tempore visas,

Cæruleum pallore diem, roseumve colore,
Lunaremque globum fuscata lampade tectum,
Et mare purpureum nudato littore siccum,
Piscibus oceani proprias sitientibus undas?
Nescia mentiri rerum cognata fidelis
Conservat natura fidem pietate parentis,
Participans, quæcunque fient, mundoque minentur,
Ostentis ventura monens, ut pectore læto,
Si bona sunt ventura, bonis nos ante fruamur,
Si mala portendant, liceat pacare precando
Naturæ, cœlique Deum post secla manentem.
Nemo ferire volens se præmonet inde cavendum:
Sed qui terret, amat. Sic indulgentia pœnam
Prævenit, et nullos cupiunt tormenta reatus.
Non negat Omnipotens veniam cuicunque roganti,
Supplicium cum sæpe neget, licet inde minetur
Omnibus, et nullum feriat censura Tonantis,
Ni vitium peccantis agat perstando maligne.
Et quemcumque ferit, moderanter temperat ictus,
Corrigit errantem, nec punit morte repente,
Si peccare diu parcat quicunque profanus.
Sed cum perstat homo semper delicta sequendo,
Sentiet iratum pœna plectente furorem.
Nemo Deum sentit, quoties irascitur ulli,
Indulget, cohibetque minas pietatis amore,
Donec ab excelsis veniat vindicta coercens:
Impete terribili gravis irruit ira repente,
Sensim rursus adest nullo terrore juvante,
Et non agnoscit Dominum quicunque furentem,
Donec in extremos gemitus recidente ruina

Ingravat incautum graviori pondere frangens.
Sed non est omnis manus extirpanda reorum;
Solos quippe necat, quos cernit nolle reverti,
Addere sed gravibus peccatis crimina dura.
Nam mox tempus adest veniens, quo vota recurrant
Ad meliora semel, sed non reditura secundo,
Ac scelus abjiciant lacrymis, et corde reatum.
Quis genus humanum nescit servare volentem
Auctorem, Dominumque Deum? cui contulit orbem,
Per tot facta Deus quod sexta luce creavit.
Prima dies nam lucis erat, mors una tenebris:
Lux datur ante polos, lux clari causa diei,
Lux jubar æthereum, lux noctis limes, et umbræ,
Lux facies rebus cunctis, et lux elementis,
Lux genitis, factisque calor, lux gratia solis,
Lux decus astrorum, lux aurea cornua lunæ,
Lux fulgor cœli, lux et primordia mundi,
Lux splendor flammæ, lux magni temporis index,
Lux opus auctoris primum, lux cardo pudoris,
Lux honor agricolis, requies lux omnibus ægris,
Lux ævi meta, lux quæ dat tempora metis,
Qua bene constructa mundi primordia lucent.
Clarus ubique Deus, nunquam maculabilis auctor,
Quem non obscurant quacunque ex parte tenebræ,
Nec celantur ei, quæcunque obscura geruntur.
Initium factis lucem dat lucis origo.
Quanta spes mundi præmissa est principe luce?
Quæ totum præcessit opus, quod continet orbis,
Quæ solis prævenit iter, lumenque coruscum,
Cujus jussit ope clarescere cuncta creata.

Altera quippe dies cœli convexa meretur,
Et supra cœlos ingentia flumina dantur,
Ac dominatur aqua glomeratis fontibus alma,
Ignibus æthereis cœlesti sede locatis.
Unda beata nimis, meruit quæ tecta polorum,
Celsa favore Dei, jussu suspensa Tonantis.
Limitibus contenta suis elementa morantur,
Nec flammas restinguit aqua, glaciemve teporat
Flammeus ignis aquæ. Servant sub lege tenorem
Incorrupta suum, non impugnata vicissim:
Nec discreta quidem, sed nec permixta morantur.
Tertia cæruleum ponti lux edidit æquor,
Fluctibus immensis pelagi freta glauca liquescunt,
Et mare navigerum quatitur spumantibus undis.
Ipsa dies terram meruit de fluctibus actam.
Eruitur tellus vasto demersa profundo,
Et solidante globo gravior per inane pependit,
Axe ferente solum, sunt pro radicibus undæ;
Quam molles portant, ceu fundamenta, liquores,
Arida materies rapitur de corde fluenti
Nondum mater humus, cujus pars solvit arenas,
In glebas pars membra ligat, pars saxea turget,
Et cautes stat montis apex, pars flumina mergit,
Planitie pars tensa jacet, pars littora curvat,
Pars datur in tumulos, pars aspera rupibus horret,
In scopulos pars certa riget, pars valle profunda
Cingitur, et colles tumidi juga celsa supinant,
Atque humiles campos spatiis æqualibus aptant.
Pars data dulcifluis undantis fontibus agri.
Promitur herba virens, it surculus omnis in auras,

Et semper vestita comis frondescit oliva.
Omnia poma virens profert, nec parturit arbor,
Linguæ laurus honos solvit donanda poetis.
Torta per obliquos it vitis in orbe corymbos,
Verberat et palmes ramos fluitante flagello :
Vinea pampineos subarundinat ebria campos,
Munera lætitiæ spondens pendentibus uvis,
Fructibus et variis redolent florentia rura.
Una parens tellus non unum fundit odorem,
Sed quot sunt herbæ, tot permiscentur odores.
India tunc primum generans pigmenta per herbas
Eduxit sub sole novo, rudibusque racemis.
Est locus in terra diffundens quatuor amnes,
Floribus ambrosiis gemmato cespite pictus,
Plenus odoriferis nunquam marcentibus herbis,
Hortus in orbe Dei cunctis felicior hortis.
Fructus inest anni, cum tempora nesciat anni.
Illic floret humus semper sub vere perenni,
Arboreis hinc inde comis vestitur amœne,
Frondibus intextis ramorum murus opacus
Stringitur, atque omni pendent ex arbore fructus,
Et passim per prata jacent : non solis anheli
Flammatur radiis, quatitur nec flatibus ullis,
Nec conjuratis furit illic turbo procellis.
Non glacies districta domat, non grandinis ictus
Verberat, aut gelidis canescunt prata pruinis.
Sunt ibi sed placidi flatus, quos mollior aura
Edidit exsurgens nitidis de fontibus horti.
Arboribus movet illa comas, de flamine molli
Frondibus impulsis, immobilis umbra vagatur;

Fluctuat omne nemus, et nutant pendula poma.
Ver ibi perpetuum communes temperat auras,
Ne lædat flores, et ut omnia poma coquantur.
Non apibus labor est ceris formare cicutas:
Nectaris ætherei sudant ex àrbore mella,
Et pendent foliis jam pocula blanda futura,
Pendet et optatæ vivax medicina salutis:
Cætera depingit variis natura figuris.
Auroram jam quarta dies præmiserat undis,
Et rutilante polo compresserat astra rubore.
Mox solis radiare globum jubet igne salutis:
Flamma salutaris perfundit lumine mundum,
Cuncta salutifero rident elementa vapore,
Cujus ab igne suo lunam jubet ire secundam;
Nigra tenebrarum corrumpere tempora noctis,
Et trepidum proferre diem comitante quiete:
Candida somnigeris collustrat cornibus axes,
Quæ numero est crescente brevis, sed plena m inore
Flammeus ornatus cœli per sidera fulsit:
Officia et stellis, numeros, et nomina jussit,
Tempora distribuit, loca contulit, ignibus egit,
Limitibus fixit, jubar induit, axe rotavit,
Cursibus aptavit, cœli regionibus addit.
Agminis innumeri nec flammea sidera cœlum
Destituunt quæcunque die, sed luce premuntur
Luminis immensi radiato vertice fusi.
Nec mirum, si clara latent sub sole corusco
Sidera, quo mundum monstrat mensura minorem,
Qui fovet igne pio cœlum, mare, sidera, terras,
Concepta virtute Dei, quem sphæra polorum

Sustinet, et sentit Dominum per cuncta tonantem,
Cujus ab imperio veniunt, quæcunque ministrant,
Omnia: jussus agit totum, sub lege laborat
Miles et ipse Cei, cum lunam, et sidera cuncta
Ostentat, sub vere novo, sub tempore primo,
Sub tirone die veterana in secla paratus.
Vidit quinta dies animalia cuncta profundi.
In corpus solidantur aquæ, nervique ligantur.
Musculus humor erat, fluctus durescit in ossa,
Atque oculi gemmantur aquis humore gelato:
Et quot sunt fluctus, tot forsan in æquore pisces
Luserunt fluido per cærula vasta natatu,
Et crispante freto perflabant naribus undas,
Terrigenis factura cibos post cuncta creandis.
Exsilit inde volans gens plumea læta per auras,
Aera concutiens pennis crepitante volatu:
Ac varias fundunt voces modulamine blando,
Et, puto, collaudant Dominum meruisse creari.
Hæ niveo candore nitent, has purpura vestit,
His croceus plumæ color est, has aureus ornat,
Albentes aliis pennæ solidantur ocellis,
Atque hyacinthus adest per colla, et pectora fulgens.
Eminet his cristatus apex, has lingua decorat,
Et brevitas formæ pensatur voce canora.
Has virides pennæ reddunt, has discolor ornat
Pluma, per innumeras currens pictura volucres:
Et rudibus tenuem subtexunt aera pennis.
Ipsa dies folium ramis, et floribus herbas
Evomit, et spicis acuit seges omnis aristas.
Silva comis vestita viret, nidosque loquaces

Exhibet, et varias decantat garrula voces,
Cum vagabunda volat commotis plausibus ales,
Frondibus insidens vento cum fronde movetur,
Unguibus ad ramos infixa tenacibus hærens.
Pennigerum vernare nemus vapor urget in usus
Pignoris, et molli durescunt ova tepore:
Pennantur membrata globis, animantur, anhelant,
Rumpuntur, confracta sonant, nutrita volatus
Tentant, et rudibus librantur in aera pennis.
Sed cum discordent inter se elementa coacta,
Fetibus eductis concordant unda, vel ignis.
Unda creat volucres, producit flamma volucres.
Pabula montis erant, sed non qui pasceret herbas,
Adfuit: intactæ senuissent floribus herbæ,
Ni pascenda daret tellus jumenta per agros.
Sexta dies Phœbi rutilo processerat ortu,
Cum natura parens gignit animantia terris.
Cornibus erumpunt armata fronte juvenci.
Et per prata vagum sequitur sua bucula taurum.
Cervus in arva fugax palmatis cornibus errat,
Et velox prorumpit equus, pecus utile bellis.
Impia terribiles producit terra leones.
Simplicitas ovium fraudes passura luporum,
Et raucos timuit discurrens dama molossos.
Spumat aper, mortes lunato dente minatus,
Et latus obliquans meditatur prælia torvus.
Nec massyla fames duros descendat in armos,
Aut aper alter eat spumantia bella movere.
Gignitur omne genus pecudum, genus omne ferarum
Inter prata vagum nullo custode per herbas.

Instar montis habens incedit bestia mole.
Promitur anguis hians, quatiens sub dente venenum,
Et maculosa repit squamis per viscera serpens,
Atra venena nocens missura e flatibus oris,
Et subito sparsura graves per sibila mortes,
Atque eadem membris impertitura medelas.
Sed ne cuncta simul passim per cuncta fuissent,
Distribuit loca certa Deus, et tempora fixit.
Tempore non uno veniunt, quæ sæva vocantur.
Non semper movet arma leo, nec scorpius ictus
Semper habet, nec semper agit fera vipera morsus,
Nec semper tollunt ad vulnera colla cerastæ,
Nec semper furit unda maris, nec semper adurit
Solis ubique calor, pro tempore temperat ignes
Pro regione plagæ, pro tempore temperat undas,
Et modo bellantes fluctus freta pigra jacebunt.
Ipse polus, qui grande tonat, sine nube serenus
Jam tacet, et puro redeunt sua lumina cœlo.
  Multa locis data sunt variis dispersa per orbem.
Arida vipereos angues suscepit arena,
Humida sortitur tellus fera colla leonum,
India cum gemmis et eburnea monstra minatur.
Bellua divinos inter generatur odores,
Ambrosiasque rapit male frangens bestia messes;
Incertusque color tigris per mille colores
Montibus Hyrcanis venit, atque effeta marito
Mittitur, ut vincat currens orbata procellas.
Cornibus erectis sortita est Africa damas,
Concava suscipiunt per montes saxa dracones.
Cætera distribuit diversis semina terris,

Plurima conjunxit, sed cespite multa diremit.
Munera præterea funduntur divitis auri,
Protulit eximias et ditior India gemmas,
Producunt niveos et littora rubra lapillos;
Flammantes, viridesque tulit Babylonia crustas,
Fersida nobilitant pretiosis littora gemmis,
Frigidus et roseo carbunculus ardet honore;
Seres fila trahunt nullo sub pollice ducta,
Balsama Cæsareos plorant virgulta per agros,
Et nimis ambrosium lacrymæ dant munus odoris.
Cinnamum interior profert sub Phœnice tellus,
Solis amica nimis: nam non de sole perusta
Hæc nardi flores, hæc portio fundit amomum.
Omnibus his genitis, animal rationis amicum
Formatur virtute Dei, limatur in artus,
Ut dominanter eat moderatior omnibus unus,
Naturæ jussu quæ protulit omnia princeps.
Ast hominem non terra parit, non pontus ab undis,
Non cœlum, non astra creant, non purior aer:
Sed dominaturum cunctis dominator, et auctor
Plasmavit per membra virum de pulvere factum.
Limus adhuc deformis erat, membratur in artus
Corporeos species hominis, cœlestis imago.
Conspicitur nova forma viri, sine mente parumper,
Spiritus infusus subito per membra cucurrit,
Et calefacta rubens tenuit præcordia sanguis.
Mox rubuere genæ, totos rubor inficit artus,
Jam cutis est, qui pulvis erat, jam terra medullas
Ossibus includit, surgunt in messe capilli,
Orbe micant gemino gemmantia lumina visus

Et vocem compago dedit, nova machina surgens
Auctorem laudare suum, gavisa, quod esset.
Tunc oculos per cuncta jacit, miratur amœnum
Sic florere locum, sic puros fontibus amnes
Quatuor undisonas stringenti gurgite ripas
Ire per arboreos saltus, camposque virentes
Miratur : sed quid sit homo, quos factus ad usus,
Scire cupit simplex, et non habet, unde requirat :
Quo merito sibimet data sit possessio mundus,
Et domus alma nemus per florea regna paratum ;
Ac procul exspectat virides jumenta per agros,
Et de se tacitus, quæ sint hæc cuncta, requirit,
Et quare secum non sint hæc ipsa, volutat :
Nam consorte carens, cum quo conferret, egebat.
Viderat Omnipotens hæc illum corde moventem,
Et miseratus ait : Demus adjutoria facto,
Participem generis : tanquam si diceret auctor,
Non solum decet esse virum, consortia blanda
Noverit, uxor erit, cum sit tamen ille maritus,
Conjugium se quisque vocet, dulcedo recurrat
Cordibus innocuis, et sit sibi pignus uterque,
Velle pares, et nolle pares, stans una voluntas,
Par animi concors, paribus concurrere votis,
Ambo sibi requies cordis sint, ambo fideles,
Et quicunque datur casus, sit causa duorum.
Nec mora, jam venit alta quies, oculosque supinat
Somnus, et in dulcem solvuntur membra soporem.
Sed cum jure Deus, nullo prohibente, valeret
Demere particulam, de qua pius ipse pararat,
Ne vi ablata daret juveni sua costa dolorem,

Redderet et tristem subito, quem lædere nollet,
Fur opifex vult esse suus: nam posset et illam
Pulvere de simili princeps formare puellam.
Sed quo plenus amor toto de corde veniret,
Noscere in uxore voluit sua membra maritum.
Dividitur contexta cutis, subducitur una
Sensim costa viro, sed mox reditura marito.
Nam juvenis de parte brevi formatur adulta
Virgo, decora, rudis, matura tumentibus annis,
Conjugii, sobolisque capax, quibus apta probatur,
Et sine lacte pio crescit infantia pubes.
Excutitur somno juvenis, videt ipse puellam
Ante oculos astare suos, pater, inde meritus,
Non tamen ex coitu genitor, sed conjugis auctor.
Somnus erat partus, conceptus semine nullo,
Materiem sopita quies produxit amoris,
Affectusque novos blandi genuere sopores.
Constitit ante oculos nullo velamine tecta,
Corpore nuda simul niveo, quasi nympha profundi.
Cæsaries intonsa comis, gena pulchra rubore,
Omnia pulchra gerens, oculos, os, colla, manusque,
Vel qualem possent digiti formare Tonantis.
Nescia mens illis, fieri quæ causa fuisset:
Tunc Deus et princeps ambos conjunxit in unum,
Et remeat sua costa viro; sua membra recepit,
Accipit et fenus, cum non sit debitor ullus.
His datur omnis humus, et quidquid jussa creavit,
Aeris, et pelagi fetus, elementa duorum
Arbitrio commissa manent. His, Crescite, dixit
Omnipotens, replete solum de semine vestro,

Sanguinis ingeniti natis nutrite nepotes,
Et de prole novos iterum copulate jugales,
Et dum terra fretum, dum cœlum sublevat aer,
Dum solis micat axe jubar; dum luna tenebras
Dissipat, et puro lucent mea sidera cœlo,
Sumere, quidquid habent pomaria nostra, licebit:
Nam totum, quod terra creat, quod pontus, et aer
Protulit, addictum vestro sub jure manebit,
Deliciæque fluent vobis, et honesta voluptas:
Arboris unius tantum nescite saporem.
  Dixerat ista Deus: sanxit natura, quod inquit
Omnipotens. Mirata diem, discedere solem,
Nec lumen remeare putat terrena propago;
Solanturque graves lunari luce tenebras,
Sidera cuncta notant cœlo radiare sereno.
Ast ubi purpureum surgentem ex æquore cernunt
Luciferum vibrare jubar, flammasque ciere,
Et reducem super astra diem de sole rubentem,
Mox revocata fovent hesterna in gaudia mentes,
Temporis esse vices noscentes, luce diurna
Cœperunt sperare dies, ridere tenebras.
  Tot bona facta Deus non obliviscitur unquam,
Quæ propter hominem fecit, sanxitque manere.
Huic Dominus pietatis opem subducere non vult,
Projicere nec plasma suum. Scit conditor ævi,
Esse nihil prorsus se præter ubique rogandum,
Et nisi subveniat, succurrens non erit ullus.
Inde malo bonus est homini Deus, omnibus auctor.
Spes, opifex, dominus, rector, dux, arbiter, index,
Continua bonitate pius, virtute modestus,

Simplicitate bonus, et culmine celsior omni.
Ibant per flores, et tota rosaria bini
Inter odoratas messes, lucosque virentes
Simpliciter pecudum ritu, vel more ferarum,
Corporibus nudis, sed nescia corda ruboris,
Quæ pars membrorum secretior esset habenda.
Unde rudes scirent, quid moribus esset honestum?
Quod digitos, oculosque putant, hoc quæque pudenda.
Publica jungebant affectibus oscula passim,
Nec rubor ullus erat, cum staret origo pudoris,
Illicitumque sibi prorsus nihil esse putabant.
Et bene credebant, quibus omnia jussit ad usum,
Arboris unius fructu sub lege negato.
 Vomere non tellus, non rastro jussa domari,
Quærere nec sudor fructus quocunque labore
Cogitur, aut campos aliquo de fonte rigare,
Imbriferis semper pluviis absentibus uber
Cespes, et arbitrio crescit fetura marito.
Præterea solis datus est locus ille duobus,
Deliciis hominum tantum constructus opacis.
Non placidas sustentat aves, non ore cruentas,
Unguibus armatas nescit perferre volucres,
Omne genus pecudum nescit, genus omne ferarum.
Solus ibi irrepsit squamoso corpore serpens,
Fraudibus imbutus mortis, caput omne malorum,
Pectore vipereo mellitum ex ore venenum
Funereo sub dente parans spumante palato.
Ergo ibi livor edax contusum dente venenum
Invidiæ mordacis habens sub fronte modesta,
Quærit opem sceleri, per quam fallatur honestas,

Simplicitasque cadat, vel credula corda reatum
Incurrant non fraude sua, sed clade perenni.
  Fortia corda viri non expugnanda per anguem
Præsensit pietatis inops, et conjugis aures
Aggreditur sub voce pia, sermone maligno
Insidiosus adit heu! mollia corda puellæ,
Ingerit ore cibos crudeli funere plenos.
His semel assumptis reserantur lumina cordis,
Ac permixta bonis patuit doctrina malorum.
Pœnituit nescisse dapes, et damna putantur
Temporis exacta spatia: procedere pejus
Ausum quippe nefas. Tentat seducta maritum,
Et capit insontem jam noxia femina victum.
Circumventa perit, sed circumscripta fefellit,
Nec circumscriptor serpens impune triumphat.
Nam postquam juvenis violata mente comedit
Funereos sine lege cibos in morte futurus,
Mox sapit infelix, quid pravum, quid sit honestum:
Cognita simplicitas, sed mox est corde fugata.
Membra pudenda putat partem, quæ est prolis origo,
Et qua ventris erat digestio, turpis habetur.
Omnibus ex membris pars mundior illa putatur,
Noxia sola magis fuerat quæ in corpore toto,
Os, aditus mortis, quam protulit, atque recepit,
Lingua suada mali: sed et aures limina mortis.
Viderat Omnipotens, homines didicisse pudorem,
Perdiderant quem fraude truci, dapibusque comesis,
Errantes per prata reos, foliisque tegentes
Fœcundos artus: dant agnita membra reatum.
Illicitum fas ante putant, licitumque profecto

Creditur esse nefas. Hos increpat ore tonanti
Sacrilegos, qui jura Dei calcando profanant,
Dum quærunt ullas foliis, vel rupe latebras;
Tunc magis obtunsi, cum credunt posse latere
Omne suum quodcunque Deum, cui cuncta patescunt,
Et merito, quia cuncta facit, fecitque jubendo.
Non fugit artificem, chalybis quæ massa caminos
Sustineat, rubigo latens quæ viscera ferri
Conrodat, quæ missa semel fornace liquescat.
Hic non defossa prodit tellure metalla,
Promittit saxis, et non de pulvere gemmas.
Scit, quibus immittat mordaces fluctibus hamos,
Retibus aut pisces fallat scrutator aquarum;
Et male venturas sperat sibi nauta procellas.
Si pluvialis hiems, aut saxeus urgeat imber,
Non latet agricolam. Sub terris providus undæ
Promittit fontes designans ante saporem,
Inspecta tellure semel. Sine flatibus ullis,
Sibila dum reticent, necdum serpente notato,
Prædicit Psyllus vim cujuscunque veneni.
Signa videt mortis medicus, reducisque salutis,
Et negat, aut spondet victurum judice visu,
Tædia lætitiæ, vel gaudia luctibus indens.
Cur exempla damus homines præscire futura,
Cum, testante Deo, doceantur nosse, quod instat?
Natio viperea, clamans, mortalibus inquit,
Signa poli nostis, prædicitis: Imminet imber,
Et veniet, nec fallit hiems, nec tardat adesse.
Ecce genus hominum ventura scire probatur.
Nec mirum, Christi si sentit imago futurum,

Cum nos venturum moneant animalia multa.
Bucula, rana, grues, formicæ, corvus, hirundo
Prædicunt pluvias, nec jam præsagia fallunt.
Quid res exanimes? testis ardente lucerna
Scintillare oleum, fungis crescentibus imbre?
An Deus omnipotens posset nescire latebras
Rupis, et ex foliis vestis contexta caducis
Aspectanti obstare Deo? Tunc voce retractus
Crimine femineo semet peccasse fatetur
Infelix conjux, in conjuge facta redundat,
Et reus accusat, sed non purgandus agebat.
Et sic participem propter solatia cladis
Conscius adscivit socius; ceu femina possit,
Ad scelus horrendum, vel sæva piacula mortis
Supplicio sociante duos, relevare reatum.
Credidit infelix: sed par sententia damnat,
Quos par culpa tenet: gradus illic temporis inter
Est tantum, nam causa ligat communis utrumque.
  Exsurgit censura Dei pietate severa,
Et vitæ, mortisque simul sententia fertur.
Supplicium infelix, quo mors datur, atque negatur,
Ultio vitalis cohibetur limine mortis.
Pœna mori crudelis erat, sed vivere pejus.
Otia, delicias perdunt, discuntque labores,
Qui cultore Deo fructum telluris habebant,
Agricola Dominus quam nondum verterat unquam.
Ipse rigator erat, sator, altor, messor, arator.
Offendunt hunc ambo pium: truduntur ab horto,
Perpetui flores nec sunt sub jure reorum,
Et vitæ mors meta datur cum fine malorum.

Magna Dei pietas, venia qui temperat iras.
Vita gravis hominum subducitur impete mortis,
Quæ recidiva magis conversis corde resurgit.
Mors mundanorum requies est certa laborum,
Et male viventi præstatur fine salutis.
Continuans quodcunque nocet pravumque, bonumque.
Solus in æternum Deus est regnator, et auctor,
Virtus trina Deus, triplex Deus omnis et unus,
De quo speratum conceditur omne benignum,
Et quæcunque jubet, præsumptio nulla fefellit,
Nec deest effectus faciendi tempore eodem:
Quem penes et sensu præcordia muta loquuntur,
Et, lingua reticente, sonat super æthera sermo,
Ac mens pura Deum potius, quam lingua precatur.
Ergo operis memor ipse sui Deus imperat ambos
Sedibus egressos placidis, dominentur ut orbi,
Ac totum, quod mundus habet, sub jure tenerent;
Et quod floret humus, viridis quod germinat herba,
Quod spicat messis, quod ramis parturit arbor,
Quod gemmant vites, quod amœna comantia frondent,
Flumina quod mittunt fontes, quod fluctuat æquor,
Quod pelagi trahit unda, fretum quod littora tundit,
Murmure quod venti flantes vaga marmora crispant,
Quod generant terræ, quod flumina, pontus, et aer,
Usibus humanis data sunt hæc cuncta venire.
Ut similis qui factus erat de pulvere Christo,
His dominaretur cunctis sub carne creatis;
Corpora corporibus servirent cuncta subacta.

Spiritus interea seruit sine corpore ventus,
Ventus agit nubes, in nubila crassior aer

Cogitur : hinc imbres veniunt, placidumque serenum.
Ventus alit fructus, et ventus spicat aristas,
Ventilat æstivo quas flatu mollior aura,
Deflorat fructus, et decutit arbore flores,
Flatibus accendit flammas, et temperat æstus
Flatibus alternis redeunt commercia vitæ,
Itque, reditque suos repetendo spiritus haustus.
Et reduci vento fibræ pulmonis anhelant,
Faucibus excurrens et naribus aura vicissim
Vitales animat per membra tepentia sensus,
Atque modo gelidis, calidis nunc flatibus ora
Illustrata vigent, et tangunt flabra palatum.
Non hæc humanis tantum spiramina membris
Sunt data, sed cunctis animantibus aura recurrit.
  Spiritus ille Dei, quo corpora cuncta moventur,
Omnia complectens agitat, fovet, inserit, urget,
Unde genus diversa trahunt et semina rerum,
Moles et immensa, mittenda e fonte perenni.
Artificis formata manu digesta vomuntur
Ordine cuncta suo : manet irrevocabile munus,
Nec tamen intereunt pereuntia lege diurna.
Quis neget undifluos procedere fontibus amnes,
Quorum jam reditus non unquam sperat origo ?
Incessanter aquas licet evomat impete pleno,
Jacturam tamen unda negat sentire fluenti,
Omnibus hic mos est de flammis tollere flammas,
Nec minuit quidquam detractus ab ignibus ignis.
Damna aliena solent aliorum lucra parare.
Hi qustus cui damna parant? in fomite flammæ
Detractæ cui forte jubar succiditur igni ?

Nec carnale genus minuit fetura creando.
Ecce dedit homini plusquam sibi rex Deus auctor.
Formantur virtute Dei mas unus, et una,
Et multos creat unus homo, mansura propago
Maxima fit generis, quam parvula fudit origo.
Parva Deo fuerant succedere nata peremptis,
Ni consumpta daret post secla resurgere vitæ.
   Sed ne sit fixum, reditus non esse sepultis,
Cordibus illorum, qui legis sancta profanant,
Annua conspiciant agris frumenta renasci
Mortua per sulcos terram findentis aratri.
Major et ex truncis surgit radicibus arbor,
Et foliis vestita viret redeuntibus annis.
Pampinus uviferæ vitis sarmenta revestit,
Et gemmata rosis redeunt virgulta ruboris.
Ambrosio reduces rumpuntur cortice fructus,
Queis est vita fugax, et par cum flore senectus.
Fit rediviva virens et crinibus herba renatis.
Ligna renascentur reduci sub germine cuncta:
Quæ nunc herba fuit, lignum jacet, herba futura.
   Squameus exuitur stellato tegmine serpens
Pelle renascenti, rursus redeunte juventa,
Reptat hians anguis per sibila guttura pandens.
Frontibus arboreis amittunt cornua cervi,
Anguibus assumptis sed mox palmata resurgunt.
Aereas enudat aves jam penna vetusta,
Et nova subvestit reparatas pluma volucres.
Mortua præterea cæcorum lumina dudum,
Nube tenebrarum discussa, luce recepta,
Ad visus rediere suos, vultusque sepulti

Nocturnos perpessa dies oculatur imago.
Mortua pars hominis quoties, pars viva jacebat,
Funera viva gerens, vivax in morte cadaver,
Ac sine morte tamen vitali in morte perempta?
Et rediviva salus reduci per membra vapore
Nascitur, et calidus repetit vitalia sensus,
Ossa tenens, venasque ciens, udansque medullas.
Phœnicis exactam renovat Deus igne juventam,
Combustusque senex tumulo procedit adultus.
Consumens dat membra rogus sine sorte sepulcri,
Ignibus exstinctis jam mortua flamma resurgit,
Redditur ignis edax redivivo lumine candens,
Et scintilla volans incendia vasta reducit:
Et quod fumus erat, stridet jubar ignis anheli.
Igne vago rutilatur apex, fax cætera lambit,
Et cinis exstinctus gelida moriente favilla
Tollitur alta petens erecto crine vagatus.
Mortua lux sub luce cadit, perit aurea luna,
Atque per ascensus, et cornua colligit ignes,
Et dum cæca latet, reparato lumine fulget,
Mentiturque diem lux frigida, solis imago.
Lucifero redeunte polo moriuntur et astra.
Nuntius auroræ subductus morte diurna
Lucifer exstinctas reficit per sidera flammas,
Et nocturnus eques jubar emicat igne corusco.
Roscida puniceum spargens aurora ruborem
Ducit ubique diem, periturum noctis ab umbris:
Et tamen hæc de sole perit, quo missa rubebat.
Sol oculus cœli, famulus super astra tonantis,
Cujus ab immensis languescunt sidera flammis,

Ni gelidis animetur aquis per cærula ponti.
Occidit ipse dies, super æquora sole cadente,
Æquore mersus obit, novus æquore mane resurgit.
Vespere nocturno radiata luce rubentem
Purpureis abscondit aquis, redditque diurne
Depositum natura suum sub nocte sepultum,
Mane resurgentem, de fluctibus orbe refecto.
Tot simul exemplis moniti, defuncta renasci
Credamus virtute Dei, qua cuncta creavit.
Et generata vigent sub nutritore Tonante:
Qui cum regna poli teneat stellantis, et alti,
Aera concludit, terram levat, æquora solvit;
Et totum capit una manus, quod sermo creavit.
Unus ubique Deus, dum jussio rumperet una,
Qui tantum pius est, quantum decet omnipotentem,
Et nulla virtute minor, nisi verberis ira,
Et voto, nam sponte bonus pietatis amore.
Quem mens pura juvat hominum, non victima supplex,
Ut se pœniteant sceleris mala vota reorum,
Et nova succedant animorum corda piorum.
Ille etenim Deus est, quem nulla retardat origo,
Cujus ab aspectu montes, et saxa fluescunt
In cineres, et pulvis erit, quæ dura rigebat:
Qui, visa tellure simul, mox pondera mundi
Concutit, et subitum monstrat vaga terra tremorem,
Ac formidatos ostendit pendula motus.
Alveus expavit violento vertice torrens,
Dum reduces sentiret aquas, et sisteret amnem
Visa Dei facies, et marmora glauca fugaret
Gurgitis æquorei, quo mundus cingitur omnis,

Et pelago spatiante fretis, ac littoris æstu.
Qui de thesauris ventorum flamina mittit,
Et frenat rapidas in tempestate procellas.
Grandinis, atque nivis, qui novit, quæ sit origo,
Qui dat fulmineos collisis nubibus ignes,
Qui laxas abscondit aquas, et continet imbres,
Qui scit, quo nitidus crystallus ventre creatur;
Candida materies, glacies duratur aquarum.
   Qui noctes hiemis producit sole minore,
Et solis protendit iter flammantibus horis:
Qui lunæ saltus statuit, solisque labores;
Qui roseis stellare nemus, vel floribus agros
Imperat; autumni qui dulcia poma saporat,
Et fragiles gemmis variat in vitibus uvas,
Ut cibus, et potus sint ubera dulcia musti;
Qui dat corvorum pullis alimenta, facitque,
Noverit ut vultur, qua sit regione cadaver,
Dux odor, atque sagax quem mos invitat ad escam,
Præpetis aut aquilæ seniò renovare juventam,
Quæ rostro crescente famem tolerabat obunco.
Qui pascit, quodcunque creat, pietate parentis,
Vitæ certa salus per mille pericula mortis,
Debilibus virtus, opulentia major egenis,
Auxilium miseris, spes, et defensio pressis,
Fessorum virtus dans nutrimenta salutis.
   Qui facit, æternam mortalia lege latenti
Membra tegant animam vento spirante loquaci.
Qui lunæ crescente globo jubet æquora crescant
Fluctibus adjectis, crescant cum fontibus amnes,
Crescat et inclusum capite genus omne cerebri,

Et minuantur aquæ, luna minuente, liquentes,
Ac decrescente decrescant lege perenni.
Qui reges, et regna domat, sternitque potentes;
Dejicit elatos, et mergit ab arce superbos,
Atque oppressores Deus opprimit, et pius ultor
Elevat elisos, et consolatur adactos
Luctibus, et damnis, et vulnera sæva dolentes.
Est nobis vexata salus? pietate medelam
Impendis tu, sancte, tuam medicamine nullo,
Quod species terrena parat languoris ad æstus.
Spes hominum intendens, et vota precantia complens,
Aspice despectum, dejectum attolle parumper,
Confusumque juva, quia pœnitet esse nocentem,
Ut valeam memorare tuas hoc carmine laudes,
Quas potero : nam nemo valet narrare creatus
Vel modicum facientis opus : quo mens mea clamat
Pectore contuso lacrymans, et voce fideli.
Obses sermo tuus nostro nam corde tenetur,
Quo te promittis nimia pietate parentem.

DRACONTII

CARMEN DE DEO

LIBER SECUNDUS.

OMNIPOTENS æterne Deus, spes unica mundi,
Inventor, genitor, nutritor, rector, amator
Cunctorum, quæ mundus habet, quæ celsa polorum,
Quæ cœli secreta tegunt, produntque parumper,
Sidereus quod ab axe globus super astra rotatur,
Pendula quod tremula vibrant face sidera flammas,
Et stellæ sub luce latent, sub nocte refulgent,
Nuntius auroræ quod lucifer emicat ardens,
Ut fuget astra poli, fugiturus lucis habenas,
Quod calor est solis, quo splendet frigida luna,
Partita cum fratre vices, sua tempora lustrans,
Ne simul invadant mundum sine luce tenebræ,
Credaturque chaos spatio sub noctis adesse,
Quod tu, cum faceres mundum, virtute necasti.
Tu Deus inspiras, ut sol auriga vocetur,
Non quia vectus equis est quatuor axe rotato,
Sed quia perfectus sol quatuor ex elementis

Quatuor alternat solers auriga colores,
Permutat jussus sol tempora quatuor anni,
Non ausus transire vices sub lege perenni
Præfixas ditione tua, non ille vapores
Auget sponte sua, medios nec temperat ignes,
Aut gelidum dat forte jubar, nisi præduce jussu
Imperii per secla tui sine fine manentis.
Militia famulante sua servire fidelis
Oceano, mundo, vel cœlo teste probatur.
Sic opus omne tuum visum est, et non latet orbem.
Te, Deus, auctorem, te norunt omnia patrem,
Te pariter Dominum, qui das exordia rebus,
Et finem sine fine paras, exordia nescis:
Spes hominum, rerum princeps, mundique superstes,
Sanctus ubique tuus complectitur omnia princeps
Spiritus immensam penetrans per secula molem:
Ut fusus aer, sic omnia contegit implens,
Singula per partes, generaliter omnia nutrit,
Totus ubique juvans, et totus ubique ministrans;
Quæ vibrans natura dedit, quæcunque creantur,
Aut generata valent, hæc spiritus ingerit almus,
Corporeos artus fovet, erigit, urget, et auget.
Continuanda manent, et succidenda labascunt.
Mentibus insidit, penetrat caput, ossa, medullas,
Pectora, cor, sensus, animam, præcordia, mentem,
Illustrat venas, oculos, et viscera replet.
Quid lædat, quem cuncta gerunt, quo cuncta regun-
tur,
Temporis, et spatii quem spiritus omnis, et ignis
Laudat, et æternum venerantur cuncta parentem?

Nec cœli secreta vacant, quæ spiritus auctor
Non habeat virtute tua, quæ solis in orbem,
Lunaresque amplexa globos dominatur, agitque,
Quidquid habet pietatis opus, simul æthera complens.
Qui nihil est, nisi lege tua servetur in ævum,
Circulus hærebit, nisi jusseris ire meantem:
Et stellatus honos mox sphæra volubilis hæret,
Ac mutent elementa vices per circla morantes,
Et cadat ante diem sublimis machina rerum:
Sed tu lege tua retines, qua cuncta coerces.
Nam quis stare queat contra tua jussa reluctans?
Aut tibi quis reputet, si perdere jusseris orbem?
Quem ipse repente jubens solo sermone creasti,
Quo libuit genuisse Deum ante hæc omnia Christum?
Semine quem verbo conceptum corde ferebas,
Quo sine non unquam fuerat mens sancta parentis,
Multa, profunda, potens, solers, pia, provida, perpes,
Simplex, celsa, levis, vibrans, immensa, serena,
Vivida, cunctipatens, mens innumerabilis, una.
Ergo Deo Deus est natus, de lumine lumen.
Corde sacer genitus mox constitit ipse parenti,
Et consors cum Patre manens, et Spiritus unus,
Trina mente Deus, Deus auctor, temporis expers,
Multiplici virtute potens, pietate modestus
Innumera, cœlis, clementis, fluctibus, astris
Impendens, ut stare queant, famulentur, adorent,
Angelico de more preces sine fine canentes.
Omnibus his præstat dilato fine manere,
Ut vigeant homines, pisces, armenta, volucres,
Et pecus, atque feræ, quidquid natura creavit,

Quidquid et innumerus diversi sanguinis ortus.
Qui nasci dignatus homo, membratur in artus
Sanguine femineo concretus spiritus almus,
Fitque Deus post templa poli sub carne, figura
Passibilis, mortalis homo sine fine perennis:
Et tenuis per cuncta vapor, jam mollior ignis
Irrepsit, tenerumque parat per viscera corpus.
Induitur compage Deus, structura ligatur
Ossibus, et nervis, pinguescunt intro medullæ,
Hinc cruor, hinc humor, solidatur musculus omnis,
Et caro plasmatur. Quid sanctus spiritus illic
Egerit, ipse potens novit, qui cuncta creavit;
Qualiter aure Deus, verbo fetante marito,
Virgineos intrasse sinus dignatur, et alvum,
Terrarum, cœlique capax, atque ignis anheli,
Aeris, et pelagi, sed non capiendus ab isdem,
Claustra puerperii passus sub lege creandi,
Vel quæcunque subit diversi temporis ætas.
Hæc fragilis natura jacens humana meretur
De pietate sua, qua non vult perdere mundum,
Quem fecit, sanxitque regens per secla manere.
Ergo ubi corporeos artus dominator, et auctor
Induit, haud cœlum Patri servire reliquit.
Nam quicunque sapit, novit, quia sic tulit artus,
Et fuit in terris, ut ne cœleste tribunal
Linqueret omnipotens: nunquam sine Patre probatus
Filius, et genitor nunquam sine pignore dictus,
Spiritus immensus, sanctus, bonus, arbiter, index,
Tertius unus idem, primus, mediusque perennis.
Ast ubi terrenum sumpsit cum corpore pondus

Immortale genus, mortalia dura subivit;
Non nisi corpoream hæc possent spectare figuram:
Nam quæcunque daret princeps miracula carni,
Sanctis hæc homines eventibus acta putarent.
Adde, quod humanis vitium est generale catervis,
Hoc credant, quod visus habet, spernantque relata.
Credimus inde, Deum mundo venisse videndum,
Ut faceret virtutis opus. Per mille catenas
Mentibus obsessis insana clade furoris,
Spiritus impatiens animas quascunque gravabat,
Tabe fluens quæcunque cutis madefacta rubebat,
Ossibus, et nervis resoluta carne retectis
Præstatur de clade salus: reparare sepultos
Novit, et exanimes iterum revocare saluti.
Ipse oculos sanat cæcorum: luminis usum,
Ignotumque diem mirantur nosse tenebræ,
Quem simul ex utero matris natura negavit.
Mortua pars hominis, pars altera viva jacebat,
Utque Deo visus, post sanus, et integer omnis
Redditur, atque calor vitalis in ossa cucurrit.
Quod de parte viri, fecit de corpore toto:
Præstitit orba parens, fleret cum funera nati.
Nec semel ista dedit, namque, ut sit virgo superstes,
Imperat, exsurgit vel Lazarus ante sepultus,
Quatuor exemptus transacta luce dierum.
Sanguinis insoliti solitus discurrere fluxus
De muliere perit, dempto simul amne cruoris.
Corripit hic febres, ventos compescit in undis,
Per quas Christus iter, (stringit natura liquorem,
Cum miraretur) Petro veniente, peregit,

Fluctibus æquoreis Domini sub pondere victis.
Vertit aquas, ut vina fluant : mirabile donum,
Pocula sunt latices, et fluminis ebriat unda.
Copia panis abest, et copia panis abundat.
Millia virtutum sunt admiranda ; sed ut quid
Miremur, Dominum tantum potuisse polorum,
Discipuli, famulique sui cum tanta per orbem
Gentibus innumeris omnes fecisse legantur?
Et simul indociles, doctosque audire moneret
Supplicium post grande crucis, reditumque supernæ
Lucis ad æthereos tractus, thronumque parentis
Cœlestis, veniens cum linguas funderet ignis
Spiritus, alme, tuus, nostro commercia mundo
Consona dissimili infundens sermone beatis.
Tu Deus es, quem terra tremit, quem mundus adorat,
Te mandante, pluunt nubes, et ab igne coruscant,
Surgere tu ventos, et crescere turbine facto
Præcipis, ut rapidæ perturbent cuncta procellæ,
Et mare cæruleum rapiant super æthera nimbi.
Tu rursus reprimis flatus, recidentibus euris,
Et mare purpureum tranquillo marmore tendis,
Ut post una freti ludant super æquora pisces,
Horrida monstra natent, et bellua gestiat ingens.
Hoc est nempe fretum, quod se divisit, et hæsit
In partes hinc inde duas hebraea propago
Impia regna fugit, Moseo principe gentis,
Rursus aquæ reduces repetunt loca prisca fluentes.
Cum fugitiva manus de fluctibus omnis adesset,
Tunc demersus obit populus, qui sæva parabat
Israelitarum plebi, quæ facta superstes

Vindice naufragio : tali sub clade aboletur,
Qui fuit ante metus, mox libera turba Tonantis
Mutatum miratur iter : via prisca salutis
Semita mortis erat, nec servans membra sepulcro.
Africus interea motus virtute jubentis
Illæsurus adest, nulla comitante procella,
Delicias portare parans novus ingruit imber,
Innumeras dat nimbus aves, datur esca polorum,
Angelica de parte cibus, sitientibus autem
Flumina petra dedit, nullo fodiente ligone.
  Et ne plura loquar, tua sunt, quæcunque videntur,
Et quæ nemo videt : tibi debent omnia, quod sunt,
Tu tamen ipse, quod es, nulli debere probaris,
Et quasi qui debet, sic omnibus omnia reddis.
Est tibi cura, Deus, de quidquid ubique creasti,
Ne tantum succumbat onus : stat cura minorum,
Et speciale jubes, tanquam generale, tueri.
Sic fit mater humus, qua germina cuncta creantur,
Sic mare velivolum mercator nauta vagatur,
Telluremque novam circumspicit impiger hospes,
Et complexus amat non cognitus advena cives.
Fœdere concordi, quia vis, elementa tenentur
Tam longa connexa mora, sic juncta ligantur,
Ut disjuncta tamen concordi lite probentur.
Si disjuncta fiant, solvetur machina rerum,
Si conjuncta forent, omnis natura periret.
  Tu, Deus omnipotens, nosti, quo feceris orbem
Semine, quo cœlos, solem, lunamque creasti
Ex nihilo simul, esse tamen diversa putamus.
Ad nihilum reditura iterum sunt omnia, cum tu

Jusseris esse chaos solus mansure superstes,
Angelicis, hominumque piis venerande catervis.
Qualiter ergo labor nullus fuit ante jubendo,
Omnia cum fierent, sic nec labor ullus erit, jam
Jusseris ut finem cum plurima secula norint.
Te Seraphim, Cherubimque Deum, Dominumque precantur,
Te chorus angelicus laudat, exercitus orat,
Thronus in excelsis humili te voce precatur,
Agmina te astrorum, te signa, et sidera laudant
Auctorem confessa suum, te fulmen adorat,
Te tonitrus, hiemesque tremunt, te grando, procellæ,
Te glacies, nimbique pavent, te spiritus omnis
Personat, imber, hiems, pelagus, nix, frigus, et aura.
Te tellus fecunda vocat, te suspicit aer,
Unda super cœlos tibi supplicat, et polus omnis,
Flumina te metuunt, et fontes, stagna, paludes
Voce sua laudant, te nubila crassa coruscant,
Te lux alba dies, te nox obscura tenebris,
Te bona temperies, te tempora cuncta precantur,
Ver, æstas, autumnus, hiems redeuntibus annis.

Per te fetat humus, per te, Deus, herba virescit,
Frondescunt silvæ, spirat flos, germinat arbor.
Messis aristatas acuit per culmina fruges,
Palmite gemmato post pampinus admovet uvas,
Et nunquam caritura comis frondescit oliva.
Te fera, te pisces, pecudes, armenta, volucres,
Turba cerastarum laudat, genus omne veneni
Sibilat ore fero, lingua vibrante trisulca,
Et tibi, quidquid habet, reputans debere fatetur.

Auctorem vitæ gaudet stridore minaci
Materies laudare necis, poterasque creator
Non angues, non omne nocens permittere nasci,
Ut vitas hominum tantum mors una tulisset.
Sed nos quæque rei cognoscimus omnia quare
Fecerit ista dari : data sunt per crimina nostra,
Quod præcepta Dei passim contemnimus omnes,
Quod peccatorum retinent tot millia vincla.
  Nec modo peccatum subrepsit moribus, olim,
Olim primus homo transcendit jussa Tonantis.
Ingratus, quia factus erat cœlestis imago,
Jura potestatis retinens super omnia solus,
Et semper, nisi jussa Dei contemneret audax.
Mox quam factus erat nullo peccante creatus,
Peccavit. Quid nos miseri de crimine nati ?
Principio nostræ peccator originis auctor
Damnatur sub lege necis, vel clade perenni.
Contigit, ut nobis similis heu ! pœna maneret,
Nec similis nos culpa tenet : semel incidit ille
Una lege reus, nos multis legibus error
Contemptis retinet captivos sorte reatus.
  Illud prætereo, quod parvi pendimus omnes,
Quod cœlo, tellure, fretis, atque aere toto,
Ignibus æthereis, et lunæ dignior orbe
Est homo, quem libuit per se formare Tonantem.
Nam diversa Dei solo sermone creantur.
Illæc voce creat, nos autem operosius aptat.
Cur non debuimus sontes pejora mereri ?
Addo, quod innumeræ pestes, mortale minantes,
Membrorum de parte sua dant sæpe salutem.

Vipera quid præstet, cauda, et cervice recisa,
Quid serpens maculosa juvet, medicina fatetur.
Aspidis obliquæ quid pinguia membra medentur,
Informis ursus, fulvus leo, quid lupus audax;
Et quodcunque malum vindex natura creavit,
Miscuit optandam dira cum morte salutem.
Quid quod mortiferis animalibus induit auctor,
Ut sentire queant, reddant sectantibus iras?
Et prorsus non sint non se vexantibus hostes?
Non pudet hoc homines : gens importuna probamur,
Justitiam retinente fera; proh! dedecus ingens,
Anguis agit ira morsus, nos improba turba,
Quamvis justitiam noscentes, temnimus actu
Plectibili : et veniam ignorantia jure meretur.
Forte sit et nobis hæc excusatio certa.
Ne furtim noceant, angues quæruntur in herbis,
Quærimus immites et per deserta leones,
Ne gregibus pasti vastent cultoribus agros.
Sectatur venator aprum, cui retia figit,
Vinea ne pereat sub morsu dentis adunci.
Cervus ut occumbat, quærit medicina medullas.
Quid nocuit pássura lepus? quid dama, vel hircus?
Quos medicina jubet hæc ut capiantur ad usus?
Ut sub fraude cadant venantum, aut cuspide ferri?
Quid pisces nocuere freti? quid turba volucrum?
Pervasit gens nostra fretum, pervaditur aer,
Ut capiantur aves ex nulla parte nocentes.
Quæ natura negat, per nos elementa petuntur :
Per pelagus celebratur iter : sejunctus ab undis
Navigat, audaces quatiens super æquora remos.

Parva putant homines fluctus transire nocentes,
Insuper armati medias grassantur in undas;
Sollicitat glaucumque fretum mucrone cruento,
Et bellum ignotis transfert manus hospita terris.
Non sat erat, terræ tolerant quod bella cruenta,
Ut vel finitimus tantum produceret hostes.
Impatiens armata manus cur tela propinquis
Implicitant, peraguntque (nefas) civilia bella.
Nec solum civile sat est, socerosque, patresque,
Germanosque petunt sævo certamine fratres.
Nec modo tentatur noviter; primordia mundi
Horrendum doluere nefas, hominemque secundum
Conspexere pii perfusum sanguine fratris.
Gessit id impietas, cum primum conditur orbis,
Et quasi lex fuerit, miserum sic venit in usum.
Faucibus oblisis cadit a latrone viator.
Quid fur nocturnus pravo velatus in actu,
Ne capiatur, agat, ferro comitante per umbras,
Multorum nos sæva docent exempla priorum.
Quid quod adulterium dulces male venit in usus?
Incestique nefas agitat plectenda libido?
Invadunt plures alieni cespitis agros,
Et domibus junxere domos non jure modesto,
Ac promissa fides non custoditur amico.
Nobilium plures decepti fraude clientes,
Canities despecta senum, læsique parentes.
Jam genitos utinam tantum fera dextra feriret,
Et tantum parvis fecisset culpa reatum,
Et necdum natos properant in ventre ferire;
Externos, pariterque suos furit impia mater

Conceptus damnare, sui nec cura pericli est.
Quæ bibit impietas truculenta impune venenum?
Repperit hoc quis grande nefas, ut non sibi mortem
Hauriat hoc quæcunque bibit? minus ecce noverca
Audet in externos genitos, quam mater agit rem.
Dextra novercalis jam natos mittit ad umbras,
Ante mori genitrix, quam nasci, pignora cogit.
Ne mala sufficerent, faciunt pejora nocentes.
  Mortua quinetiam non linquunt membra quieti,
Sollicitant animas mortis jam lege quietas
Cantibus infaustis, herbis, atque arte nefanda,
Et responsa petunt tenebris de voce sepulcri,
Ut cantavit agens animam in pythone prophetæ
Infelix Saul. Cur non graviora mereri
Omnia debuimus, qui sic peccamus inique?
  Sol, lux, clara dies, luna, stellæque micantes,
Vel quæcunque Deo famulantur sidera magno,
Militia præclara poli, vel pontus, et aer,
Et tellus accepta Dei præcepta reservant,
Ac devota pie per secula mille morantur;
Nec tam longa movet diversi temporis ætas,
Ut legem servare negent, aut tempora mutent
Contra jura Dei, contra præcepta Tonantis.
Splendet sole dies, illustrat Cynthia noctes,
Et quasi gemmatum distinguunt sidera cœlum,
Æstuat undosum pelagus, ceu fluctibus astra
Impetat, et terram spumis operire minatur.
Nec tamen egreditur transgresso limite punctum:
In sua regna furens confringitur, et redit in se
Æstus, et unda maris, validus licet excitet æquor

Ventus, et insani feriant sub littora fluctus;
Pendula cæruleum non audet scindere tellus
Invasura fretum, tantum contenta moratur
Tramite juncta suo, ripis mirantibus æquor,
In cumulos, montesque videns insurgere fluctus:
Nec pavet, invaditque, nec illa invaditur undis.
Est homo grande malum, legis transgressor, et audax,
Criminis inventor, scelerumque repertor, et auctor,
Immemor auctoris, mortis dux, germinis Evæ,
Oblitusque sui patris, inimicus, et hostis
Omnibus, atque suus, solus sub tempore parvo
Transgreditur præcepta Dei: scelerata propago
Nascitur, ex fonte sceleris genus omne meamus,
Ex primo quicunque sumus nunc usque creati,
Non pietas, non ira Dei nos ulla coercet.
Secula quod fuerant transacta ad tempora Noe,
Et scelus assiduum, ved sæva piacula mundus
Adderet, et nullus hominum retineret honestum,
Nec tamen ulla simul processit pœna reorum,
Inde gigantæa moles præsumpta rebellat,
Sacrilega cervice tumens, quodcunque valebat,
Aut poterat, stolido sibi demens arrogat ausu,
Nil reputando Deo, per quam valet omne, quod exstat
Despexit Dominum velut insuperabilis audax
Terrigena proles, meruitque infanda propago
Naufragium terrestre pati, dum littora nusquam
Terra, licet distenta, daret, quod flumina pontus
Obrueret, pontumque nocens absconderet imber,
Cum moribunda fretis silvestria cuncta natarent,

Et genus æquoreum pascens in montibus altis,
Ac pariter pelagus vastas gestiret in auras,
Agmina Cum volucrum, quæ protulit, unda necaret.
Cum grege nat per rura lupus, venator, et ursus
Mergitur, et nullos metuunt armenta leones.
Nam pavor unus erat, totum sors mortis habebat,
Nec qui fleret, erat, cunctos mors una tenebat.
Et solum emergens divino condita jussu
Enatat inter aquas cum mundi civibus arca,
Conceptu paritura simul juvenesque, senesque,
Et pueros, matresque pias, tenerasque puellas.
Una dies produxit avum, serosque nepotes.
Excepit pariter tellus natosque, patresque,
Æquævosque facit diversi temporis ortus.
Non homines tantum fecundior arca refundit.
Pace quidem modico ditata est tempore terra:
Nam postquam pelagi cecidit tumor, unda resedit,
Diluviumque nocens alta suscepit abyssus,
Littora nudantur, montes, mare, flumina, silvæ,
Apparent fontes, paulatimque arida tellus
Redditur, et redeunt cunctis iræque, metusque
Jam tecta tellure feris, gregibusque, avibusque.
Impia gens hominum scelerum mox vota resumit,
Et facinus reparare cupit; ne perderet usum
Criminis illuvies, et tanquam damna subiret,
Sic hærent delicta malis grassante reatu,
Sic passim redeunt ad sæva piacula mores,
Pertulit et studium princeps impune vagari,
Ut revocarentur sociati crimine multo.
Sed postquam in pejus hominum procedere vidit

Pessima vota Deus, rursus ne perderet orbem,
Aut impune reos passim dimitteret omnes,
Eligit e cunctis, quos plus peccare videbat,
Supplicio censura Dei super astra coacta.
Et quia diluvium jam non dabit unda secundum,
Sulphureas his fundit aquas, nigrumque bitumen
Compluit, et flammis ultricibus imber adussit
Quinque cremans urbes, populos, et mœnia damnat,
Ignibus æthereis succiso cespite cocto,
Pinguis et in cineres putrescit gleba soluta.
Nos sumus auctores nostris heu! cladibus omnes,
Pauperiem, gemitus, mortem, tormenta, dolores
Nos nobis facimus peccando sponte maligne.
Segregat Omnipotens merita pro moribus orbis,
Non sociant pœnæ, quos non junxere reatus.
Loth justus, famulusque Dei, sine fraude, fidelis,
Inter tot scelerum turbas pius unus, et insons
Eripitur de morte truci sine crimine visus,
Et servatus abit vitæ melioris amator,
Qualiter ereptus Noe servatur in arca,
Nec generale malum sensit specialior hospes.
Tot gens nostra malis nondum correpta vel audet
Criminibus laxare fores sine fronte pudoris,
Supplicia et scelerum non damnat prava, sed auget.
Hinc obscœna fames, morbi, mors, luctus, egestas,
Tædia, bella, lues, clades, jactura, labores.
Nam sic factus homo fuerat, primordia nostra,
Ut volucres; pascendus erat sine clade laboris,
Vomere non terram proscinderet, atque ligone,
Non peregrina vagus rapidis deposceret undis,

Committens animam ventis, et fluctibus audax,
Sponte parans fructum, vinum et de fontibus uvæ
In morem fluvialis aquæ; longæva liquores
Semper oliva virens, certo non tempore ferret,
Mella darent vepres, sentis sudaret amomum,
Omnis ager pigmenta daret vernantibus herbis,
Et rosulas proferret hiems, servaret et æstas
Lilia purpurea, flos omnis staret odore,
Nec marceret honos violæ pallore decenti,
Non niger, aut albus tantum color esset in agnis,
Sed rubicunda daret pretiosus vellera sandix,
Lanigeras vestiret oves et muricis ostrum,
Fabula certa foret Phrixei velleris aurum,
Famam scenarum verax narratio ferret
Per populos, certamque fidem sine crimine tanto.
Viscera non terræ tantum pretiosa metallum
Servarent abstrusa nimis, nec gemma lateret;
Omnia sed passim facies telluris haberet,
Omnibus in terris regio non indiga mercis,
Vilior illa foret populis, portantibus euris.
At nunc plectibiles humanæ mentis ubique
Dulcia subducunt mores, et amara ministrant.
Forsitan opponant homines delicta fatendo,
Angelicum peccasse genus, quod purior aer,
Et super astra polus, vel cœli regna tenebant.
Ante tribunal erant, ubi casta, et sancta viderent
Corporis expertes terreni ponderis omnes:
Et sic error eos tenuit, crimenque nefandum.
Quid homines miseri, fragili sub tegmine carnis
Captivos quos membra tenent, et corporis usus?

Sic vobis responsa dabo : Quid culpa aliena
Objicitur? purgare potest, quod gessit iniquus,
Alterius quodcunque nefas? scelus omne peractum
Respicit auctorem, socios, cunctosque ministros
Implicat, et solos facinus, quos inquinat, urget.
Inde magis mens nostra rea est, quod pœna secuta est
Cœlestes famulos, his nec gravis ira pepercit.
Sideris innumeri cecidit pars tertia cœlo,
Cum duce pulsa suo; superum vindicta coercet
Agmina cœlicolum, pereuntia clade perenni.
Militiæ pars tanta poli districta sine usu
Debuerat nostros ultro compescere mores:
Et tamen in nobis nullus timor exstitit unquam
Quis canis allatret, vibices si ora leonis,
Colla, caputque ferant, et sanguine fulva rubescant?
An solis pereunte die, simul obice terra,
Sidera despiciant umbram, qua cuncta teguntur,
Et superare putent crassas tenui igne tenebras?
Aut sitiente freto jactet se pellere rivus,
Quam nec magna sitim possunt sedare fluenta
Gurgitis æquorei, cunctus si fluctuet amnis?
Sed quia cœlestis pietas veniale minatur,
Plusque coruscantes flammas, quam fulminat vibrat,
Aut si fulmen habet, montes, et culmina tangit,
Arboribusque caput, cedros, celsasque cupressos,
Ut terrore domet potius, quam clade profanos,
Est nobis contemptus atrox, animusque nocendi
Omnibus est nobis: pietas tamen alma Parentis
Indulgere volens cito, quam punire parata
Misit ab arce pium cœli per sidera Christum,

Qui virtute sua serpentis frangeret artes,
Per vexilla crucis hostis populando cohortes,
Præcipiti jactu quas celsa palati cœli
Exsilio trusere gravi sub perpete culpa.
Expavit Judæa Deum post viscera matris
Maxima tot populis dantem miracula Christum.
Invida continuo, semet læsura, profanam
Sacrilega tenet arte viam livoris iniqui,
Et quærit peritura dolos, quibus improba perdat
Insontem, sanctum rea, noxia, callida, fallax.
Et pretium dat turba; Dei commercia fiunt,
Discipulo vendente suo, funesta duobus.
Venditor infelix, sed non felicior emptor,
Pars pretium perdit, perdit pars altera mercem.
Proficit in nobis, qui non contraximus, emptus:
Sanguine distracti maculatur venditor, emptor,
Quo mens nostra sacri mundabitur imbre cruoris.
Ah scelus, atque nefas! insontem turba reorum
Supplicio, quo digna fuit, cruce, verbere, ferro
Affligit, lethique vias, et limina mortis
Ingerit æterno, cui lex ab origine mundi
Nec fuit initium nasci, nec finis obisse.
Ergo salutaris quod passio membra peremit,
Fecit abire diem, solis restantibus horis,
Et noctem sub luce dedit, rediere tenebræ,
Sed sine more suo, violata lege polorum.
Tum niger axis erat, quem lurida palla tegebat,
Candida sanguineum monstravit luna ruborem,
Cardine sub gemino nox importuna pependit,
Et planxit natura Deum, monumenta piorum

Clausa patent, plures mundo rediere sepulti,
Et vitam mors ipsa dedit; dum vita perennis
Limina mortis adit, stygii tremuere ministri,
Effugiunt tormenta reos, invita pepercit
Tortorum metuenda manus, lux funditur umbris,
Descensum comitata Dei, simul orbe fugata.
Tartarus infelix nunquam satiabilis umbris,
Et solitus gaudere neci, turbatur amare,
Et supplex augmenta dolet, nam damna futura
Hæc augmenta dabant; animas, quas claustra tenebant
Carceris æterni, redituras lucis ad usus
Infremit, et legem violari deflet averni.
Luminis impatiens, ut jam remearet ad auras
Æthereas, orat Dominum, regemque polorum,
Ne gravet omnem Hecaten jubar insuperabile Christus;
Aut spoliet toto nigros simul agmine manes,
Ad Superos revocans animas virtute parentis.
Tertius interea processit lucifer astris
Oceano splendente die, redit almus ab umbris
Rex reduci vita, magna comitante caterva.
Discipuli reducem læti videre magistrum.
Inde reversus habere petit sua regna triumphans,
Dexter in arce sedens, consors genitoris amatus;
Judicio venturus erit post secla futuro
Reddere mercedem cunctis, quam quisque meretur,
Ad dextram, lævamque jubens astare catervas,
Exigit ut meritum vitæ pravæque, bonæque.
Si scelus est, et grande nefas tempsisse potentem,
Factorem temerasse suum quod crimen habetur?
Et tamen indultor mansit post funera carnis,

Pœniteat si forte reos, clementius audit,
Datque repente pius veniam, donatque reatum.
Juda miser veniam si vel speraret, haberet:
Sed memor infandæ tamen et sine nomine culpæ
Credidit infelix nihil jam veniale mereri,
Judicioque suo veniæ subtractus abivit.
Redditur argentum, scelerata ad colla pependit,
Vix tandem justus, nam nec permansit avarus,
Suspensus obiit, se mox ultore severo.
Vincula rumpuntur, cecidit, crepuitque cadaver,
Viscera fusa fluunt, hinc cor crudele patescit,
Funestatque diem de corpore tabe madenti.
Legimus, innumeras veniam meruisse catervas
Judaea de gente reas, mortisque ministros
Optima perpetuæ sumpsisse hæc munera vitæ,
Quorum Paulus erat caput exstans grande malorum:
Et tamen ipse fuit legis post crimina doctor;
Martyrium Stephano qui fecerat, inde recepit,
Et meruit plenam, quam contulit ante, coronam,
In se vera Dei confirmans verba probavit:
Hoc patietur homo, quod quisquam fecerit ulli.
Sed bonus excepit, quod tunc male fecit iniquus,
Quod populos, gentesque docens convertit eundo
Per mare, per terras, ut Christi nomen adorent,
Gentilesque deos, et cordibus idola pellant,
Mars cadat ex animo, pereant Saturnus, et Arcas
Jupiter, atque Venus, Títania, Juno, Cupido,
Vel quicunque dii ficti sermone vetusto
Credantur nil posse, simul nihil esse probentur.
Solus ubique Deus, rerum fons, conditor, et spes,

Idem semper eris, quod et es, quod et ante fuisti,
Nil addens, minuensve tibi crescentibus annis.
Tempora mutantur, te nunquam secula mutant,
Qualem prima dies, talem simul ultima noscet.
Cum te non caperent cœli, terræque, fretumque,
Aeris et spatium, modico te corde reponis
Pectoris humani, conceptus mente fideli.
Exaudis, quod lingua tacet sub corde loquaci,
Ante futura vides, penes et te nulla futura,
Sint licet, Omnipotens, præsentia cuncta videntur,
Aut transacta magis nobis ventura creantur.
Sic peccaturos homines tu Spiritus auctor
Ante videns primum medicinam, sancte, parasti,
Quam faceres hominem: indulgentia prompta reatum
Prævenit, et facinus venia præcedit iniquum.
Christus enim datus est nobis, spes una salutis,
Qui nostra hic peccata lavet pius amne cruoris:
Et licet ipse ferat maculas, et crimina nostra,
Immaculatus adest tamen agnus, et unicus hæres
Semper viventis, semper victurus et ipse.
Largitur peccata reis sine voce rogatus
Pectoris affectu, secreta mente, fide, spe.
Cum sit ubique Deus, semper præstare paratus,
Tardius accipimus heu! nostro corde morati.
Oderunt pia vota moras, festinus adoptat,
Ut præstet, si quæ nos purget causa morandi.
Arbitrio posuit clemens Deus omnia nostro,
Libera mens hominum est peccare, aut vivere sancte,
Libera vota dedit, quando sperare velimus,
Credere si placeat, facile est nam posse mereri.

Credidit Abraham, Dominoque est factus amicus.
Confectus senio, membris marcentibus ævo,
Inter avos, atavosque fuit, sed prolis egenus,
(Haud soboles Ismael erat) frustraque maritus
Officii genitoris iners; algente vapore
Germinis exstinctus cecidit genitalibus ignis,
Et fecundus amor, quem jam subduxerat ætas.
Nec solus steriles retinebat marcidus artus.
Femina deterius præmortua membra trahebat:
Spes generis recidens, et vis materna peracta.
Augebat spem sola fides, præsumptio simplex.
Frigida progeniem senibus natura negarat.
Flebile conjugii portabant nomen inane,
Spes tantum juvenilis erat, crescentibus annis.
Adfuit his prolem spondens cum gente nepotum.
Non hos certa fides, nec spes incerta fefellit.
Fecundus per membra vapor discurrit utrique,
Dulcior et gelidis irrepsit flamma medullis,
Miranturque senes redivivo fomite venas
In sobolem caluisse suas: animatus anhelat
Inter membra puer vinctus compagibus arctis.
Intumuere sinus rugis pereuntibus alvi,
Dum tantum sit mater anus paritura prophetam:
Et sterilis, fecunda parens miratur, et hæret,
Sic uterum crevisse suum, tenerasque puellas
Consulit, et trepidans tanquam nova nupta requirit.
Sæpe verecundos faciunt nova gaudia vultus,
Fructus honestatis datus est de ventre pudoris.
Sic licet unius genitor post secla creati,
Gentibus, et populis tamen est pater unus origo.

Omnis arena maris, vel flammea sidera cœli
Æquantur numero benedicti germinis apte.
Nam cui terra datur, et cœli sancta parantur,
Rectius æquatis geminis hinc inde elementis.
  Sara, socerque simul Dominum petiere rogantes,
Illa virum meruit stabilem post funera septem,
Hic visum, fugiunt cum paupertate tenebræ,
Et gemino capit orbe diem, reducesque sereno
Lumine sunt acies post nubila crassa micantes.
  David adulterii facinus homicida peregit,
Sed scelus agnoscens culpas impune fatetur,
Sic reus et veniam sceleri sub voce meretur
Credulus, et Domini famulus post, atque fidelis,
Attestante Deo, cœlesti voce vocatus,
In tantum ut regem faceret post crimina natum
Ex eadem muliere virum, cui tempore-partus
Omnia concessit merito genitoris amati.
Fleverat Ezechias: sub puncto temporis uno,
Et prece primori vitam, et tria lustra meretur.
  Murmure sub tacito sterilem defleverat Anna
Matriem; fecunda redit per vota priora,
Et non est ultra vox exspectata secunda.
  Hi solas fudere preces, jejunia nulla,
Nam nec tempus erat longum, quo vota piarent,
Cum nec plena fuit cunctis poscentibus hora,
Qua votum meruere suum pietate Tonantis.
Quod vetus, atque novum duo testamenta loquuntur,
Millia tot subito veniam meruisse reorum,
Pro quibus una semel vox est, aut nulla precata.
Exegit quid plena fides, et credula, dixi.

Quid non credentes mereantur, dicere cura est.
Incurrit culpam sancti pater ille Joannis,
Pontificis loca sacra tenens, magnusque sacerdos,
Credere cunctatus Domini promissa Tonantis,
Angelico senior monitus sermone repente.
Mox vindicta datur per longa silentia linguæ,
Donec ventris onus bis quinis mensibus actis
Fundatur de ventre puer sub sorte beata.
Tu, Deus omnipotens, rerum cœlestis origo
Tu pius, et clemens, et consolator haberis,
Tempore tristitiæ major defensio pressis.
Erigit elisos, relevat tua dextra jacentes,
Confovet abjectos, et semper pascit egentes,
Pocula larga parans sitientibus alma ministrat.
Nescius irarum monitis, non clade coerces
Peccatum, sine clade reos clementior audis
Ante preces, veniaque juvas; non ira furorem
Excitat, ut jubeas vel juste occidere sontes.
Plus pius es, quam justus: agis non ergo severus,
Errantes punis, sed mitis corrigis omnes
Sub pietate bonus, pœnæ cessante flagello.
Et quoties commotus eris, placidissimus exstas,
Nil immite jubens, levis est sententia cœli:
Rex pie, supplicium cunctis revocabile dictas,
Ut, si peccantes agnoscant corde reatus,
Et damnent meliore animo delicta priora,
Sint, quibus ignoscas, sed non semel ista relaxas,
Sæpius indulgens, ostendens limina mortis,
Et revocans a morte truci, quos culpa premebat
Faucibus inferni raptas inducere formas.

Hi soli pereunt, semper quos esse profanos
Constiterit, sine fine mali peccare volentes.
Criminis, et pœnæ limes semel unus habetur.
Et poteras servare malos pius usque senectam,
Ut damnare simul horrenda piacula nossent,
Et veniam sperare tuam, sed major habetur
Hic ratio, nam impune diu peccare nocentum
Si fuerit permissa manus, turbata repente
Mens insontis erit, mox pœnitet esse modestum,
Optaturque nefas, et plus pia turba nocetur,
Improba quam rabies, atque improba vota fatigant.
Quid quod erranti mora non brevis esse probatur,
Servaturque diu veniæ, si desinat audax
Illicitum tentare nefas? nam gaudia cœlo
Conversus dat quisque reus; sibi quisque medelas
Arbitretur homo, culpas sub voce relinquit.
Vox tua cum sileat, tua sed sententia clamat.
Erigis oppressos humiles, sternisque superbos,
Tu captivorum rumpendo noxia vincla,
Colla levas attrita jugis cervice soluta,
Et proceres servire facis, famulosque jubere,
Paupertate, jubes, opulentos turpis egestas
Urgeat, et ditas opibus bene largus egentes.
Ima levas, et celsa premis, præsumpta coercens
Atteris, et tenues adjecto robore firmas,
Jura potestatis retinens sub nomine vero,
Solus enim Dominus, Dominum qui non habet, exstat;
Vel qui cuncta patent, per quem sunt omnia, quot sunt,
Et transacta simul, quæ sunt quandoque futura.

Qui dedit elysios justis, et tartara pravis,
Qui placidis, sævisque jubet procedere solem,
Et lunam, stellasque vagas, et sidera cuncta,
Imperat et pluvias nullo discrimine fundi.
Nec ratione caret pietas generaliter una,
Mercedem justis, injustis munera nobis
Prorogat, ut vel sic nos convertamur ad illum.
Illectos donis, non pœnis mutat adactos.
   Exspectat pia vota Deus, non thura requirit,
Victima sola placet purgatæ mentis honestas.
Nec tamen expensis, sed puro corde litandus.
Pectore contritos, genibus cum pectore flexos,
Suppliciterque suos pandentes fletibus actus
Exaudit: nam si quis erit miseratus egentis,
Texerit et nudos, inopes defenderit, insons,
Contentusque suis, alienis non inhiarit,
Si impetrare velit, velut impetrare meretur,
Effectus faciles oratio pura reportat,
Quam non impugnat cujusque precatio tristis.
Et fortasse juvat, pauper, peccata relaxat
Pastus, et indutus, viduæ, pupillus, et æger,
Et defensus inops plus, quam scis, quærere possunt.
   Vestibus, expensis, epulis de more Tabitha
Expendebat opes, miseris alimenta ministrans.
Nunquid ad annorum numerum cuicunque modesta
Addidit, et vitam longum produxit in ævum?
Et meruit tamen ipsa jacens post funera vitam
Amissam reparare suam, testantibus illis,
Queis proprias fundebat opes miserata rogantum.
Petrus enim medicus fuerat, medicina catervæ

Paupertatis erant ; cœlis extorsit egestas,
Quod voluit. Nos turba rapax calcamus egenos,
Conferimusque nihil : forsan spoliamus avari
Pauperiem, si forte ferat quodcunque decorum,
Exspectamus adhuc, det pauper xenia nobis,
Afferat et prædam potius : de nobile pauper
Jam modo dives eget, cui confert indiga dextra,
Non sibi mendicans, quod divitis usibus addit.
Quidquid agamus ad hæc sceleris, fraudisque, dolique
Supplicio dignum, differt punire benignus,
Ut, si pœniteat, magis indulgere paratus ;
Qui facit angelicas flamma crepitare cohortes.
Nam pia turba Dei sunt spiritus igneus omnis :
Quamvis ipse Deus se prodidit igne loquaci,
Cum jubar ignitum Domini rubus asper haberet,
Et lacrymas populi pro libertate gementis
Diceret ante suum Deus ascendisse tribunal.
Se tamen asseruit sublimibus alma potestas
Descendisse polis, ut quæ captiva jacebat,
Libera turba foret, Domini victura superstes.
Mox sua promissor perfecit verba fidelis,
Excussoque jugo deduxit per mare rubrum,
Candida dux fuerat nubes, flammæque columna ;
Fluctibus æquoreis gemina de parte ligatis,
In scopulum pelagi jam non latrantibus undis,
Transierat salsos ponti sine remige fluctus,
Et pedibus siccis iter est navale peractum.
Laudavere Deum populus de morte natantum,
Sexus uterque Deo magnis in laude choreis

Certatim resonant, et palmis tympana pulsant,
Et celebrant, vincente Deo, saltando triumphum.
Non gladiis, jaculisque datis, missisve sagittis
Gens oppressa perit; sed tantum surgere jussa
Arma elementa Deo, nullum fusura cruorem;
Et tamen innumeras faciunt sine sanguine mortes.
Una eademque die populis datur ecce duobus
Ira furens, pietasque simul: sine nubibus ullis
Diluvio periere gravi, splendente sereno.
Omnibus ostendit Domini sententia lata,
Quid peccata creent, quid justi vita meretur,
Quid bona simplicitas, quid noxia vota reportent,
Quid pius, aut humilis, quid et impius, atque superbus,
Quid ferus, aut mitis, quid clemens, quidve cruentus,
Dapsilis, et largus, quid prædo, aut raptor avarus.
Agmina condemnant mores, atque agmina purgant.

DRACONTII

CARMEN DE DEO.

LIBER TERTIUS.

Luminis æterni, lunæ lux, lucis origo,
Orbis, et astrorum, jubar ætheris, aeris auctor
Pax elementorum, naturæ conditor, et fons,
Sideris innumeri numerus quem non latet omnis,
Nomina dans astris, et stellas cursibus aptans,
Immotosque jubens septem constare triones :
Axe licet volvente polos, stant sidera pigra.
Qui numeras cunctas, quas præfert littus, arenas,
Per freta cuncta maris totum quas continet æquor.
Omnia nosse Deum, quia condidit omnia solus,
Quis dubitet? Quod nosse jubes, cœlestia norunt,
Quod tu scire vetas, ignorant omnia cœlo.
Missa cadunt, hiemesque cient comitante fragore,
Verberis ignoti volitant per inane flagella,
Et rutila radians crinitum missile flamma
Justitiæ monitor, sed plus pietatis amator,
Celsior excelsis, specie sed pulchrior omni,

Virtutum virtus, dulcedine dulcior omni,
Lucidior luce, vel lumine clarior omni,
Editor omnipotens, sed non tamen edite ab ullo,
Qui placidos pluviis das descendentibus imbres.
Sic annona datur cunctis animantibus esca,
Et natura parens per tempora cuncta ministrat,
Sic plumis vestitur avis, sic frondibus herbæ,
Sic calamos nutrita seges stans armat aristis,
Et tunicis vestita ceres pubescit adulta.
Sic viridis flavescit ager sine semine jacto:
Creditor extorquet sub vomere fenus arator,
Usura præstatur edax, centesima grandis
Redditur, ac parens votis credentis avari
Debitor exoptat millesima reddere lucra.
Non exactorem pudor inficit, aut dolor ullus
Afficit exactum: contraria vota duorum
Conveniunt, solusque dolet captator iniquus
Annonæ, pretiique vorax, inimicus amicis,
Omnibus adversus, populis insontibus hostis.
Nam sua damna vocat mundi compendia pulchra,
Nil opibus propriis quacunque ex parte minutis.
Exstinctam dolet esse famem, bene dives egenus,
Semper avarus inops, pauper sub divite nummo
Æstuat, et custos alieni ruris, et auri,
Judicio punita suo mens semper avara
Dat pœnas, animi quæ sedem nescit amare:
Diligit hæredem, cui servat cuncta fidelis.
Nec bona præsentis hic tantum perdere vitæ
Contingit miseris: perdunt bona cuncta futura.
Nunquid eris pius, alme Deus, jam morte perempto?

Illi quippe, magis qui proditur impius in se,
Et sibi, vel cunctis solatia tota negavit?
Nos exempla docent damnati divitis, ingens
Pauperis et requies, qui post sua membra beatus
Abrahæ portante sinu per secla quiescit.
Divitis exstincti tormenta exspectat egestas,
Immitesque vias alterna sorte rependit.
Serica quem tenuis, quem mollia lina gravabant,
Qui solet æstivum membris sudantibus ostrum
Poscere, deposito confractus murice denso,
Cujus et in digitis non sedit crassius aurum,
Et licet exiguæ non ferret pondera gemmæ,
Inter anhelantes tormenta ultricia flammas
Supplicium crudele luens exæstuat ardens,
Et tolerat, poscitque rogans, ardente palato,
Ut gelidum digito mereatur lingua liquorem.
Sed negat hoc immane chaos, crudele profundum
Dividit inter aquas, et sæva incendia mortis,
Quæ sine fine manent, et stant sub perpete nexu.
Et miser hic, qui dives erat, non vixit egenter,
Vestibus indutus tyriis processit, et ostro,
Delicias convexit edax, reus inde vocatus,
Pauperibus miseris ~~quod~~ trux alimenta negabat.
Nam sibi dives erat dapibus conviva repletus.
Si tales damnare decet sub perpete pœna,
Qui sibi, non aliis proprium defundere curant,
Quid passurus erit, qui nec sibi præstitit unquam,
Aut qui aliena rapit prædo temerarius audax,
Cujus facta gemens plangit spoliatus egenus?
Hi nam sunt, quos sola juvant convivia prædæ,

Gutturis, et ventris curam sine laude ferentes,
Ignari, quia quisquis erit præsentis amator
Vitæ, animæque suæ, non diligit ille, sed odit.
Contemptor vitæ magis hic servator habetur.
Nil opus est præferre Deo: sententia prisca est,
Summum crede nefas animam præferre pudori.
Quam sit grande nefas animam præferre datori,
Demere dum liceat, quidquid dedit, et cui confert?
Ergo Deum si corda colant, et mens veneretur,
Nil opus est præferre Deo, Deus omnis amor sit
Ante animam, simul et vitæ præsentis amorem
Postponat mens pura Deo, totamque salutem
Rejiciat, contemnat opes, patrimonia damnet,
Et securus erit vitæ melioris amator
Temporibus sine fine datis, sine limite perpes.
Quod spectat finem, fragile est, totumque caducum.
Quam sit insipiens contemnere velle perenne,
Et modico quæsisse die peritura repente,
Abrahæ doceant jam nos exempla parentis,
Qui natum senior susceptum tardius unum
Spe cito contempsit, jussus produxit ad aram,
Aptavitque neci nimia pietate cruentus;
Nudato mucrone pater, ferus ille sacerdos
Stabat in officio jamjam feriturus amatum,
Et pius immitis, non tristis fronte doloris,
Non lacrymis undando genas, non unguibus ora
Dilacerans: lamenta silent, et verbera cessant.
Nato peccati pietas secura minatur
Exitium: sine morte truci pro funere nati
Sic solum exhibito nata est immensa propago.

Hostia grata jacens, et victima mente quieta
Displicuit, placuitque simul, quia corde fideli
Et pater obtulerat, nec natus vota negabat.
Mox pater omnipotens arietem subrogat aris,
Hostia præstatur non orbatura parentes.
Si Deus ullus erat Saturnus falcifer unquam,
Hoc faceret, puerosque neci subduceret omnes,
Annua quos pietas flebat miseranda parentum.
Heu! non orbaret dilecto pignore patres,
Qui planctus, mortesque facit per vota rogatus.
Num verus Deus est, munus qui majus ademit,
Quam præstare potest? cui natos præstitit unquam?
Nam Deus omnipotens, verus Deus, omnia præstans,
Non cupit insontum mortes, vitasque nocentum
Non cito consumit, veniæ dum cuncta reservat.
Nam quod Isac jussit collum submittere cultro,
Non crudelis erat concessum auferre parenti
Per patris tam grande nefas, aut jura probare
Censuit amborum; non est tentator habendus,
Aut ignarus erat, quem mens humana lateret;
Cum ratione jubet fieri, quæcunque jubebit:
Sed voluit monstrare Deus, qua mente rogetur,
Qualiter omnipotens se vult, et jussit amari.
Ostendit cunctis, ut nil præponier unquam
Debeat æterno Domino, qui cuncta creavit,
Cujus amore pio sunt contemnenda pericla,
Vel quæcunque placent animis, et quidquid amatur,
Si jactura fiat, præstat compendia damnum,
Temporis exigui si sint dispendia vitæ,

Semper at æternæ felicia lucra dabuntur.
Nec nudo sermone decet promittere tanta.
Quid pater Abraham, quid Isac meruisse leguntur?
Horum posteritas replevit gentibus orbem.
Barbaries nec sola datur de germine justo,
Et romana manus hocce est de sanguine fusa.
Dat major gentile genus germanus, et hostis,
Et minor eduxit, qui munera pacis amarent.
Subjiciat quisquam: Sanctorum vera propago
Pacis amatores merito, justeque creavit.
Nunquid et immites, qui gaudent sanguine fuso,
Debuerat proferre simul feritate cruentos?
Hæc illum responsa doment, faciantque silere.
Non agnoscit iners animi, rationis egenus,
Tempora quod mundi rebus sunt capta duabus:
Aut pax est, aut bella fremunt, quodcunque duorum
Alterutrum mox tempus habet, nec tertia res est,
Tempora quæ teneat. Dedit ergo tempora princeps
Omnia perpetuo generi manifestius Isac.
Ætatem mundi retinens descendit origo,
Continuans dominata manet per secula mundi.
Nec tempus retinet tantum, spatiatur in orbem,
Qua profert, tollitque diem sol, luminis index,
Qua nescit lustrare polos, qua flammeus urit,
Imperat et pelago; cœlum possedit origo
Sancta prophetarum, tenet et loca magna piorum:
Omnia possedit benedicti lata propago.
Sed nec solus erat, quem spes secura futuri
Egregie faceret præsentem temnere vitam.
Ignea tres pueros fornax exceperat ardens

Nomine pro Domini; sed mox tepuere calores,
Frigidus ignis erat, gelidis incendia flammis
Mirantur cecidisse, simul non fervor anhelat
Torridus, aut adytum lambebat flamma camini.
Crinibus ignitis jejuna alimenta recusat
Fastidita fames, rejecto fomite pingui,
Non fuit ignis edax: quem roris spiritus afflans
Imbrifer exstinxit, mitissimus angelus intrans,
Cujus erat similis divinæ prolis imago.
Non vestis flammata viris, non crinis adustus,
Flamma nec extremæ læsit vestigia plantæ,
Conculcata licet toties gradientibus illis.
Illæsos pueros expavit persa tyrannus:
Egrediantur, ait Dominum confessus eorum
Plenius, atque suum solium jubet omnis adoret
Parthicus, imperio subjectus regis, et aulæ.
Sæva Danielem rabies, atque ora leonum
Non tetigere pium, cui destinat insuper escam
Magna Dei pietas, jejuno utroque leone.
Quis petit, et vixit venator inermis arenam?
Amphitheatrales qui non tremuere furores,
Cum crepitante sono productus verberat auras,
Longius assistens massylum ex arte lacessit,
Lintea fluxa trahens: venabula longa tenentur
Poplite subnixo, duro sub pelle lacerto,
Inguinibus strictis, nudato pectore sursum?
Cum residens caveis inter spectacula festa
Vota facit populus, valido ne bestia morsu
Sanguinis humani sanie perfusa madescat.
Quando duos pariter suscepit arena leones,

Præsidio si porta fugæ spatiosior obstet
Clausa, patensque simul bisseno cardine verso,
Hinc vir adest, atque inde fera, stans unus ad unum.
Hinc armata manus ferro, hinc dentibus ora.
Et tamen auxilio supra caput imminet alter,
Morsibus illisis ne bestia membra jacentis
Vexet, et horrorem faciat dilecta voluptas.
Quis, rogo, tam sævas rabies compescere vindex
Armatus præsumpsit homo? clarissimus ille
Alcides, quem monstra ferunt domuisse nefanda,
Qui virtute polos meruisse est dictus, et astra,
Vix unum exstinxit captum per colla leonem,
Si tamen huic verax per secula fama locuta est.
Sed hic plena fides hominis pietate Tonantis
Exegit virtutis opus, miracula summa.
Ille Dei famulus fuerat, non sorte Dianæ,
Quæ solet insontum fuso gaudere cruore,
Sanguinis humani nunquam satiata, catervis
Hospitibus cæsis, humana tabe madescens
Taurica per Colchos crudelis virginis ara.
Petrus apostolico digne subnixus honore,
Discipulus Domini, crucis almæ signifer, et dux
Gentibus innumeris positus sub lege fideli,
Retia post pelagi vilissima piscis aquosi
Præco Dei solers, et veri dogmatis index,
Janitor æthereus, vel primus in orbe sacerdos,
Temporibus nostris Christo regnante tonanter,
Quanta, docens populos, turbis miracula fecit,
Impendens Asiæ nulla mercede salutem,
Europæque simul nixus virtute magistri?

Et ne Roma diu nesciret munera Christi,
Hanc, Paulo comitante, petit, pia jussa sequendo.
Exorans precibus Magum per celsa volantem
Simona mendacem sternit, spectante Nerone.
Ficta Dei proles nimia est collapsa ruina.
Sic imitatorem sed non imitabilis ignis,
Fulmina mentitum, perculsum fulmine vero
Sacrilegum cecidisse ferunt Salmonea regem.
Ecce, quid alma fides exegit ab arce Tonantis,
Ut vitas, mortesque daret sermone fideli.
Mors cita, vita redux, verbo mandante, recurrit.
Naturæ famulatus adest servire paratus,
Obsequitur, Dominique vices cognoscit agentem.
Exigit hoc simplex spes, vox pia, vota fidelis.
Omnia nam constat precibus cito posse mereri,
Vivere quos libuit sub tali tramite vitæ.
  Quod si cuncta velim miracula currere solers,
Non mihi sufficient mortalis tempora vitæ.
Multa licet maneant sub quovis limite longo.
Sed ne forte legat hæc carmina nostra profanus,
Quem lateat lex sancta Dei, nec credulus exstet,
Impendat quid pura fides, præsumptio simplex;
Nec tamen æternum modico pro tempore quærat,
Et neget, Abraham tantum fecisse beatum,
Vel quoscunque docet sancta scriptura fideles:
Historias currant Danaum, gentisque Quirinæ.
Qua pro laude sua, vel qua pro regno alieno,
Mentibus infectis animosæ cladis amore,
Ausi omnes scelerare manus de morte suorum,
Aut certe de strage sua. Menecea Creontis

Statius ostendit, qui fuso sponte cruore,
Ut pater orbatus furiarum regna teneret,
Thebanos proprio perfudit sanguine muros.
Si consanguineos scelus est jugulare propinquos,
Est furiale nefas in se convertere ferrum.
Hoc facinus nec nomen habet, sed nemo profecto
Miretur hominum tam sæva piacula gentis.
Non aliter potuit sceptrum transire profanum
Ad successores, quod gesserat Œdipus unquam.
Jam ferus ipse Creon Jocastæ proximus hæres,
Et germanus erat: quasi lex est ipsius aulæ
Criminibus, lacrymisque ducum sua regna dicare.
Codrus Apollineæ tripodis responsa requirit:
Accipit infelix, alieni causa triumphi;
Vestibus indutus famuli petit arma tyranni,
Nam cui bella negant, fecerunt jurgia mortem:
In dubiis mors est inopem simulare tyranno.
Ausa Leonidæ, nocturnaque bella legantur.
Castra inimica petens invasit nocte silenti,
Et fuit una cohors tantum munita tenebris.
Nox erat umbo viris, manus hæc confusa periclis,
Spe mortis præsumpta suæ; qui luce repulsa
Millenos petiere viros spernendo salutem.
Invadant populos, obscura strage cruentant;
Dum nescit quem quisque ferit, cui quisque repugnat,
Obtruncat socium, carum prosternit amicum,
Amputat ignarus fratrem, jugulatque propinquum.
Dum pater obscura defensus nocte putatur,
Sic ibi procubuit nati pietate peremptus.
Viveret, et vitam longo produceret ævo,

Ni sobolem genitor nimiæ pietatis haberet :
Fœdere namque reus punitur crimine sancto.
Nec reor, esse nefas Persis occidere patres,
Quos sua jura probant thalamis adsciscere matres.
Ara Philenorum libycas possedit arenas,
Portio telluris fratrum concessa furori,
Solis adusta rotis, nigris infecta venenis,
Ignibus æthereis, gelidis obsessa cerastis,
Inter serpentum glacies, atque aeris æstus
Ignorat mutare vices per tempora tellus,
Puniceum retinens ingenti sole ruborem.
Illic securi spatiantur ubique chelydri,
Defendit quos flamma nocens, quos terra perusta
Tot desertorum, quorum sub jure tenentur.
Quid facerent fratres, si florea rura petissent,
Si tellus fecunda foret nimis ubere glebæ?
Aut si vipereis non esset noxia tellus
Flatibus, et nullas mandarent sibila mortes?
Nonne pererrantes issent, qua flammeus axis,
Extendit qua zona polos rubicunda colore,
Aut hiemis glacies æterno frigore tristis
Semper anhelantis torpet ignara vaporis?
Hæc plaga germanos nunquam prohiberet euntes,
Limite sed posito niveas mensura pruinas
Finderet, et scythicas retineret tracta paludes.
Quæ romanus amor patres implere coegit,
Dicere, si valeam, vero sermone probabo.
Optima nam vindex exempla, ac pessima Brutus,
Horror, amorque novus, civis pius, impius auctor,
Jure pater patriæ, natis, et regibus hostis,

Atque pudicitiæ læsæ castissimus ultor
Post regale nefas, quod castæ gessit adulter,
Invasor thalami genialis, prædo pudoris.
Quod scelus admisit, postquam fera regna tyranni
Expulit, et gemino perstrinxit consule Romam,
Annua festivis disponens fascibus acta?
Regia bella gerens, naturæ bella peregit,
Membra cruore suo perfudit ab hoste reversus
Consul, et in sobolis vertit pia colla secures
Hostibus aptatas, funesta fraude profanas,
Civibus hostiles, orbatricesque suorum.
Ibat in exequias juvenum execranda senectus,
Unus erat vitæ natorum, et funeris auctor.
Hoc scelus admissum tam sævo crimine non est.
Dulcis amor patriæ, qui patrem fecit amarum,
Aut fecit non esse patrem jam prole perempta.
Pro quibus arma tulit, hoc se qui pignore privat?
  Alter erat senior, qui natam perculit ense,
Quando dolens genitor planctus de pignore fecit.
Prævenit affectus, ne corde premenda libido
Tolleret ingenti cum libertate pudorem.
Causa pudicitiæ naturæ jura diremit,
Libertatis amor vicit pietatis amorem.
Immemor hinc generis factus, non immemor Urbis,
Sanguinis oblitus fecit de patre novercam.
Virginis eximiæ pater impius esse recusat;
Ne sit avus famuli, pondus ditionis honestas
Extimuit; formido fuit lasciva voluptas,
Illicitosque thoros obsceno crimine captos
Horruit iratus: gemitus, vincente dolore,

Fudit virginei truculentus funeris hæres.
Libertatis opus solatia planctibus egit.
Militis armati tantum potuisse dolorem,
Mirantur populi; quia captus amore pudoris
Hostis erat generis, prolis mors, sanguinis haustor.
Quid Torquata manus? nato pro laude periclum
Intulit ostendens, quæ sit censura parentis.
Nam neque culpa fuit. Patriæ pugnando triumphum
Vulneribus dedit ille suis, quibus hoste perempto
Contigit exstingui, tanquam superata juventus.
Quamvis nemo sua stravit post bella cohortes,
Relliquias cladis gladio feriente necavit.
Addo, quod invictum, dantemque ex hoste tropæa
Mœnibus eripuit patriæ de clade duelli.
Quis, rogo, dux pœnas unquam est victoribus ausus?
Aut quis adoratum, populo laudente per urbes,
Inter victrices audax post bella cohortes,
Atque triumphales post horrida prælia currus
Percuteret sublime caput, lamenta triumphis
Jungeret, et lætis misceret tristia rebus?
Oppressit votiva dolor, festiva recedunt,
Publica funereo turbantur gaudia luctu.
Pœnituit vicisse ducem, cui gloria mortem
Intulit, et miles bellorum prospera flevit.
Dum lueret victor pœnas virtutis honestæ,
Maxima justitium victoria grande paravit,
Vindicat hostiles gemitus fera dextra parentis,
Sanguinis ingessit pietas inimica dolorem,
Barbara quem rabies hostili cuspide missa.
Pullati proceres, vadimonia nulla fuissent,

Crinibus effusis lacerasset pectora palmis
Illustris matrona dolens, plebeia lacertos,
Scinderet ungue secans vultus pia turba modestos,
Ut quondam Iliades fleverunt Hectora matres,
Nympharum ceu turba suum tunc planxit Achillem,
Ut Brutum planxit mœsta cum plebe senatus,
Non ætas, non sexus erat, qui funus acerbum
Non gemeret reputando suum : Torquata propago
Sic est plancta diu scelere prostrata parentis.
  Scævola flammipotens dextram contemnere dignus
Constituit punire manum, licet ipse fefellit,
Non manus, audaces animos : plus præstitit error,
Ut sine morte ducis vir tantum laudis haberet.
Non romana nurus doluit per bella maritum,
Non genitor natum planxit, non nata parentem,
Non orbata parens deflevit funera nati,
Non germanorum mortes flevere sorores.
Nec bellum pax ulla ligat, pretiumve redemit :
Una manus bellum tantum compressit inermis.
  Quid? romanus eques vasto telluris hiatu
Præcipiti jactu demersus sponte per umbras
Curtius ingemuit, cum vivum terra cadaver
Sorbuit, armato deterrens funere manes?
Fortis, et incolumis populo mirante sepultus,
Vir galeatus adhuc ferrato corpore visus
Inter tartareas sic descendisse tenebras.
Pallida gens erebi, pœnarum portio tristis,
Tertia sors, quæ lucis inops damnata laborat,
Credidit, Alcidem prædam repetisse secundam,
Aut alium vatem casus revocasse sinistros,

Amphiaræ, tuos, quem perfida vendidit uxor.
Quid romana fides? Legatio punica misso
Consule testatur. Reditu promissa fideli
Regulus implevit, horrendæ mortis amator,
Otia contemnens, magnum cum plebe senatum
Compulit infelix ad inexorabile pactum,
Captis lege data, pœnarum ut vincula ferrent.
Immemor uxoris natos contempsit, et Urbem,
Libertatis opem nec ferrea vincla tenebant.
Captivum tum forte ducem jam liber agebat
Inter patricios, prætores, atque tribunos
Plebis adorandæ, domuit quæ viribus orbem.
Institit occidi, ne esset post bella superstes
Hostis Elissaeus, quem par fortuna tenebat
Cum duce trojugenum : qui pacta luce reversus,
In sua membra furens, tormentis intulit artus,
Pervigil exstingui gavisus lumine nudo,
Ut plus terreret Tyrios de morte minaci,
Quam gladiis, cum bella daret, pugnamque cieret :
Mox senis emeritum formidavere cadaver.
Intemerata fides ad quæ fera bella Saguntum
Compulit, atque famem, vel sæva incendia mortis?
Annibal inclusis, nullo surgente reatu,
Præter quod fuerant humanæ gentis amici,
Crimen amicitiam reputans, pro laude periclum
Intulit, et pœnas exegit ab urbe fideli,
Perfida quas lueret sub justo vindice turba.
Intoleranda semel toleravit mensibus octo,
Quæ nec sponte fidem violat, nec clade coacta :
Victa caterva tamen, gladios ut vinceret hostis,

Incendit patriæ populum cum mœnibus urbis,
Et sibi dat cum morte faces, secura sepulcri
Poscit ab igne neces, hostis sua mira triumpho
Subducens, et colla jugo : rogus omnibus unus,
Mœnia sunt patria, et tumulus, cinis omnibus idem,
Signorum vis magna, ducum monumenta soluta
In cineres jacuere suos cum mœnibus urbis.
Nec juga romani fuerant metuenda senatus :
Parcere victor amat, sed debellare superbos
Urget, et hortatur veniam implorare, suetus
Pacis, et armorum similes portare triumphos ;
Invenisse magis, cui dent post bella salutem,
Quam bellis punire volunt. Sic urbs tamen illa
Libera cuncta sua flammis civilibus ussit,
Non iram metuens clari post bella senatus,
Sed veniam : qui liber erat, servire recusat,
Et pavor est Afro dominanti subdere colla.
Mentibus ingenuis nec tunc promissa patebant,
Quæ nos æternæ speramus munera vitæ.
Sed ne forte viris tantum data verba putentur,
Et quasi sexus iners fragili sub corpore mollis
Laudis opus metuens, ne sit sibi fama superstes
Tormentis, sequitur quæ vita æterna, recuset
Plurima dona Dei, laudis mala femina summæ
Materiem retinere potest; audacius illis
Deprensis nihil est, animos de crimine sumunt,
Datque nimis grandem mulieribus ira furorem.
Unde igitur furiale nefas assumere possunt,
Inde pios animi rapiant sub pectore motus,
Et faciant, quod honesta decet, quod fama pudoris

Exigit, et vitæ prodest sub laude futuræ.
Judith Holofernem castissima finxit amar
Castra ducis metuenda viris ingressa virago.
Inter belligeros fremitus, et tela cruenta,
Inter et ensiferas sævo sub marte catervas
Ingreditur vestita fide, vestita pudore,
Et quod tanta manus non est aggressa virorum,
Nocte sub obscura perfecit femina sola,
Et duce truncato viduavit castra tyranni.
Quæ caput apprensum proceris portavit ad urbem:
Civibus una dedit cum libertate triumphum.
Femineo mucrone perit dux fortis, et audax,
Quem non bella domant, domuit promissa voluptas,
Hæc sperata licet, non est perfecta libido:
Et certæ noctis pœnas persolvit adulter,
Impollutus adhuc nullo sub crimine facti.
Semiramis dulces, Nino viduata marito,
Invasit thalamos, et regnum prolis amatæ.
Exhibet infelix incesto pectore matrem,
Et sibi socrus erat fili turpissima conjux:
Bella diu gessit juvenem mentita sub armis.
Quis neget iratæ Tomyris crudelia bella
Cum duce persarum Cyro sub laude peracta?
Ultrix facta sui post tristia funera nati,
Dum regale caput dimissum sanguine multo
Clausit in utre cruor, quem mens furiata dolore
Fuderat, innumera juvenum cervice recisa.
Casta quod Evadne fecit Capaneia conjux,
Dum post sulphureos jaculati fulminis ictus
Ignibus appositis arderent ossa mariti,

Conscendit mox viva rogos, viduamne vocamus,
Quæ simul infernas cum conjuge venit ad umbras?
Dives Dido fugax, exstincti conjugis ultrix,
Urbis Elisææ perfectis mœnibus ample,
Ipsa pyram manibus propriis construxit, et aram,
Quam pedibus furiata suis conscendit, et arsit.
Impulit ad flammas accurrere funere vivo
Aut amor Æneæ, aut venientis terror Hiarbæ.
Quid formosa nurus, populo spectante, pudica
Post maculam thalami Lucretia casta peregit,
Quam tulit infelix, alieni pœna pudoris?
Ut rea procubuit, nullo surgente reatu!
Concidit ense suo, mansitque superstes adulter,
Qui solus feriendus erat mercede pudoris.
Millia femineis numerantur ubique catervis
Exempla scelerum modicæ vel laudis amore:
Aut certe fecere pie pro numine vano
Conficti sermone Dei, quem fabula mendax
Extulit, et miseros incassum orare coegit,
Unde nihil lucri, sed vitæ damna tulere,
Cum sit nemo Deus, nisi noster ubique tremendus;
Omnia præcepti solo sermone creantur
Ipsius imperio, per quem sunt cuncta per ævum.
Ecce Deus verus, de quo nil fingitur, in quem
Fabula nulla cadit, quem nunquam verba diserti
Exornant, aut sorde notant, cui tempora nil dant,
Aut relevant, currente die: qui secula mutat,
Nec mutant hunc secla tamen, quia, quod fuit, hoc est,
Hoc erit æternus: qui præsens constat ubique,

Omnia cum tollat, minuatque volatile tempus,
Incrementa Deus, vel decrementa recusat;
Idem semper erit, nunquam mutabilis ævo,
Qui cum sit Dominus, se vult tamen esse parentem.
Exhibet, impendit, præbet, testatur, adoptat
Nos genitos vocitare suos: nos ergo fideles
Vivere debuimus, tanquam factoris imago,
Quos deceat factura Dei pietate magistra.
Rex pie, bellantum comitata potentia supplex
Fit, quodcunque jubes: effectus jussa sequuntur.
Stat famulans natura Deo, constructa elementis,
Nescia, quid jubeas, donec præcepta repente
Audiat, et Domino citius parere laborat,
Exsultans jussisse sibi, gavisa ministrat,
Perficit injuncta placido sermone jubentis,
Et rerum natura parens famulata tremiscit,
Per quem celsa poli, tellus, mare, sidera constant,
Et gestit servire pavens. Quota portio rerum
Nos sumus audaces, ut contemnamus acerbe
Imperium cœleste truces? præcepta sequatur
Nostra, Deique simul, qui vult, sua vota venire.
Cum nos jussa Dei fieri contemnimus ultro,
Nec sumus ignari, quid sit fas, quidve nefastum,
Gens scelerata sumus, nil de pietate merentes.
Quorum primus ego plus quam peccator habendus.
Quando fatebor enim, scelerum simul esse reatum
Pectoris, et carnis? non si mihi ferrea vox sit,
Ora tot exsurgant, quot dentes ossibus albent,
Aut mihi sint linguæ, quantos caput omne capillos
Pectinat, explebo numerum sine fraude fidelem.

Sed satis est dixisse reum sub crimine cuncto.
Quod tua jussa vetant, solus peccasse fatebor,
Omne quod horrescis, non me fecisse negabo.
Quid prodest cuicunque nefas celare peractum,
Cum judex, et testis ades Deus unus, et idem?
Sacrilega quasi mente putem, non omnia nosse,
Aut aliquid nescire Deum. Sibi fraude nocebit
Mens mea quod reticet, cum, si confessio simplex
Indicet admissum, venia sperata sequetur.
Qui negat, ipse sibi veniam jam sponte negavit.
Ergo ego confiteor miseranda mente reatum
Plenum, grande malum, non uno crimine partum.
Nam scelus omne meum numeros superabit arenæ
Littoris, et pelagi vincent mala nostra liquores.
Non puto diluvium tantos punisse reatus,
Quantos ipse gero culparum pondere pressus.
Flumina me scelerum rapiunt, quatiuntque procellæ,
Et peccatorum torrens simul obruit unda;
Me delictorum merserunt fluctibus amnes,
Usque animam venit unda meam, gravis horror aquarum.
Hei mihi! quod facinus non uno tempore gestum,
Ut mea facta luam, tempus convenit in unum.
Nunc ubi sit pietas, ubi sit miseratio prisca,
Aut tua quo, Domine, clementia nota recessit?
Oblitusne mei es? precor, obliviscere ne me,
Omnipotens, sed facta mea: gravor undique pressus,
Vincla ligant, tormenta domant, consumit egestas;
Ludibrium generis, dolor omnibus, atque inimicus
Factus, et exutus magna de parte bonorum,

Crinibus intonsus, pannis squalentibus usus;
Notus, et ignotus desunt, abiere parentes,
Me quibus impendi, mox dedidicere propinqui,
Vel quicunque fuit, subito discessit amicus.
Agmina servorum fugiunt, tempsere clientes,
Nec doluere meam tanta sub clade ruinam:
Irascente Deo, solatia cuncta negantur.
Hoc superest, ut vita cadat, nisi parcere mitis
Jusseris afflicto, quem sic fregere dolores.
Punisti errantem, nunc jam miserere fatentis.
Pœnitet en peccasse nimis, jam parce flagello:
Nam nequeo tolerare miser tot cladibus actus.
Aspice, quæso satis, precibus ne clauseris aures
Nostris, sancte, tuas, qui das præcepta benignus,
Ira hominis cum sole cadat de corde furentis,
Et veniam nox ipsa ferat: qui præcipis, ut sit,
Fac fieri, quod et ipse jubes, miserere rogantis,
Et lacrymas intende meas, quas fundo diurne:
Tristis, et extenso prostratus corpore plango.
Me miserum! qui tanta fero, cui tanta parasti
Supplicia scelerum: merear licet acrius uri,
Munere percipiam Domini, redeunte favore,
Quidquid amara dies, et tempora dura tulerunt.
Lucem redde, precor, qui tempora subtrahis Job
Aspera, restituens, quidquid malus hostis ademit;
Arida qui reparas antiquis mortibus ossa,
Quæ membris rediere suis, clamante propheta,
Atque homines factura jubes reptare, cruoris
Humor ut absumptas intraverit ante medullas.
Nascuntur venæ, jam nervis membra ligantur,

Jam tegit ossa cutis, multos distenta per artus;
Quærunt colla caput, constringit guttura cervix,
Verticis eximii replentur et ossa cerebro :
Inde duces oculi gemmato lumine vibrant,
Et palpebra tegunt luces, mundantque fenestras :
Scena capillorum, fundens a fronte coronam,
Tempus, et omne caput vestit de crine decorum,
Atque supercilium gemino supereminet orbi.
Naribus abductis duplex data semita vento,
Et geminæ rubuere genæ, lanugine malæ
Crispantur revirentis adhuc post ossa senectæ
Mortua temporibus multis, olimque sepulta.
Ordine muratum dentes cinxere palatum,
Ut bene verba sonent, ipsis modulantibus, ora :
Obsessamque domant densata repagula linguam,
Et sontem factura latet, sermonibus oris
Interpres mentis, secreti pectoris index,
Atque voluntatis tacitæ, vel cordis imago
Verbere distinctas spargit per murmura voces,
Omne nefas, atque omne bonum dictura loquendo;
Dentibus adduntur rubicundo labra flabello.
Accedunt humeris remorum more lacerti,
Brachia junguntur, vola nascitur, et manus omnis.
Unguibus armantur digiti sub dispare forma,
Curvis spina latus complectitur aspera costis,
Pectora circumstant crates, jugulique ligantur.
Cætera membrorum currit propago per artus,
Usibus, officiis aptantur cuncta ministra,
Ædificant hominem longæ fragmenta ruinæ.
Ante tamen, quam membra forent compage ligata,

Jam prior auris erat, quæ audivit verba Tonantis.
Persarum Dominus timuit post regna bubulcum
Inter prata pecus, qui post regnavit in arce.
Me, rogo, jam repara sub libertate solutum,
Clade, catenarum ferrato pondere pressum.
Sit vitæ requies, animæ sint otia fessæ,
Sit secura quies, sit nox cum munere noctis,
Sit fortuna redux, sit virtus usque senectam,
Sit venerandus honos, et quidquid vita precatur,
Aut amissa dolet, totum pietate reforma.
Nosco, quid iratus, vel quid mitissimus ipse
Des, pater: adverto, non est formido salutis,
Sed veniam sperare licet. Res ipsa probavit,
Quod vivus sum: mortis inops pietate reservor,
Non ira, nam si Domini gravis ira fuisset,
Non me differres, subita sed morte necares,
Ne peterem veniam, quam nunquam, sancte, negasti,
Aut ut non essem prorsus, cui parcere posses.
Servatum reparare jube pietate sueta,
Ut merear cantare tuas per carmina laudes.
Quamvis nemo tua præconia congrua dixit,
Aut unquam dicturus erit: nam formula laudis
Temporibus tribus ire solet, tu temporis expers,
Nunquid habes, Deus, ante tuum? vel post cadit in te?
Si laudator abest, narrator plenus at esset:
Sed quid opus narrare tuum sermone valebit?
Suspexisse Deum satis est de corde trementer,
Et lacrymis, precibusque piis veneranter adire.
Sint reduces vires, mens sana in corpore sano,
Sit mihi longa dies felici tramite vitæ,

Sit secura domus, felix numerosa propago,
Sit sine tormentis post corpus vita futura,
Et requies animæ, qua mox purgata quiescat.
Judicio, Deus alme, tuo detur inde triumphus,
Inter odoratos flores, et amœna vireta
Ad nemus æthereum veniam, sedesque beatas,
Et grates exceptus agam de fasce malorum,
Additus insonti populo sub sorte piorum.

DRACONTII

SATISFACTIO

AD GUNTHARIUM

REGEM WANDALORUM DUM ESSET IN VINCULIS.

Rex immense Deus, cunctorum conditor, et spes,
  Quem timet omne solum, qui regis igne polum:
Sidera, flamma, dies, quem, sol, nox, luna fatentur
  Auctorem, Dominum secula cuncta probant:
Principio, seu fine carens, et temporis expers,
  Nescius alterni, nec vice functus agis.
Omnia permutans, nullo mutabilis ævo,
  Idem semper eris, qui es modo, vel fueras.
Nil addit, demitque tibi tam longa vetustas:
  Omnia tempus habent, nam tibi tempus abest.
Qui mentes hominum, qua vis, per singula ducis,
  Et quocunque jubes, dirigis ingenia.
Qui facis iratus, homines contraria velle,
  Propitiusque jubes, ut bona cuncta gerant.
Quidquid agunt homines, bona, tristia, prospera, prava,
  Hoc fieri admittunt ira, favorque Dei.

Hoc tua verba probant Moseo dicta prophetæ,
Quod duraturus cor Pharaonis eras.
Sic mea corda Deus, nostro peccante reatu
Temporis immodici, pellit ad illicita.
Ut qui facta ducum possem narrare meorum,
Nominis Asdingui bella triumphigera,
Unde mihi merces posset cum laude salutis
Munere regnantis magna venire simul,
Præmia despicerem, tacitis tot regibus almis,
Et peterem subito certa pericla miser.
Quis, nisi cœlesti demens compulsus ab ira,
Aspera cuncta petat, prospera cuncta neget?
Irascente Deo, mentes mutantur, et artus,
Vertuntur sensus, vertitur et species.
Persarum regem Babylonæ regna tenentem
Post decus imperii quis neget esse bovem?
Et diademalem turparunt cornua frontem,
Mugitus pecudis verba fuere duci.
Agricolam timuit post parthica regna bubulcum,
Submisitque pavens regia colla jugo.
Erravit per prata vagus, mala gramina pastus,
Et qui homo bos fuerat, de bove factus homo est.
Liquit et antistes verus pater ille Joannis,
Elinguisque fuit voce tacente silens.
Ast ego peccando regi Dominoque, Deoque,
Pejor sum factus, deteriorque cane.
Vulnera vexati curat sua lingua molossi,
Heu! mea quippe mihi vulnera lingua dedit.
Sed qui restituit pecudis post membra tyranni,
Ut fieret rediens ungula fissa manus,

Quique reformavit tacitæ modulamina linguæ,
Ne mutilante sono verba ligata daret,
Ipse meo Domino Deus imperat, atque jubebit,
Ut me restituat, respiciatque pius.
Servet, avi ut laudes dicam, patriasque, suasque,
Perque suas proles regia vota canam.
Culpa quidem gravis est, venia sed digna reatus,
Quod sine peccati crimine nemo fuit.
Nam Deus omnipotens potuit, dum conderet orbem,
Tristibus amotis gaudia sola dare.
Sed diversa creans, et discordantia, junxit
Et bona mixta malis, et mala mixta bonis.
Sic elementa potens contraria miscuit auctor,
Humida cum siccis, ignea cum gelidis.
Littera doctiloquax apibus cognata refertur,
Queis datur, ut habeant vulnera, castra, favos.
Cera dat ingenium pueris, primordia sensus,
Inde fit, ut prosit littera, vel noceat:
Aspis habet mortes, habet et medicamina serpens,
Vipera sæpe juvat, vipera sæpe nocet.
Cerva salutares pasto serpente medullas
Conficit, et pellunt ipsa venena neces.
Materies ferri simplex, et noxia fertur,
Impius inde nocet, rusticus inde placet.
Ipsa parit gemmas pretiosos terra lapillos,
Ipsa dat et vepres, spinea ligna, rosas.
Delicias, mortesque parat mare fluctibus altum,
Et generat pelagi conchula divitias.
Aera temperies auris vitalibus aptat,

Quæ corrupta dies eripit, atque animas.
Aspera, vel facilis retinet natura volucres,
Blanda columba avis est, aspera vultur avis.
Nubibus aggestis pluviæ, nix, grando, pruina
Gignuntur vicibus, igne, vapore, gelu.
Sol dat temperies, species gratissima mundi,
Cuncta creanda parans, cuncta creata fovens.
Per quem fetat humus flores, et messis aristas,
Sole perustus ager putris arena jacet.
Corpora sol reficit radiis, et corpora vexat,
Solibus alternis itque, reditque salus.
Omnia nec mala sunt, nec sunt bona sidera cœli,
Lucifer hoc docuit, Sirius hoc monuit.
Temperies cœli medium nec possidet orbem,
Nam de quinque plagis vix habet ipsa duas.
Quod cœlum, quod terra, fretum, quod purior aer
Non meruere simul, hoc homo quando habeat?
Culpa mihi fuerat Dominos reticere modestos,
Ignotumque mihi scribere, nec Dominum.
Qualis et ingratos sequitur, qui mente profana,
Cum Dominum norint, idola vana colunt.
Israelitarum populum sic culpa tenebat,
Quando Deum oblitus flans vitulum coluit.
Et tamen indulges veniam poscentibus, auctor,
Si sceleris facti mens rea pœniteat.
Te precor, Omnipotens, te, quem decet esse benignum,
Quem non ulla juvat ultio, sed venia,
Cujus sancta manus sustentat corda regentum,

Et pius inclinas mox, ubicunque jubes.
Te coram primum me carminis illius, ausu
Quod male disposui, pœnitet, et fateor.
Post te, summe Deus, regi dominoque reus sum,
Cujus ab imperio posco gemens veniam.
Imperet armato pietas tua, prospera mandet
Rex Dominusque meus, semper ubique pius.
Nec mihi dissimilis, quam quod solet esse catervis,
Sit pietate tua, sit bonus, et placidus.
Nam tua sunt, quæcunque gerit, quæcunque jubebit,
Judiciumque Dei regia verba ferunt.
Exorent hæc pauca Deum, qui mentis opertæ
Sensibus ætheriis condita vota videt.
Ad te nunc, princeps, mea vela retorqueo supplex,
Pectore, mente rogans, voce, manuque petens.
Da dextram misero, veniam concede precanti,
Tempore tam longo non decet ira pium.
Namque inimicorum culpis veniale minaris,
Captivosque tuos deliciis epulas.
Puniat, ut sit, quod Christus, tu parcis iniquis,
Vindice quo regnas, quo vigilante, viges.
Qui pereunt bello, soli moriuntur ut hostes,
Qui superest pugnæ, vivat ut ipse, jubes.
Captivus securus agit, solusque rebellis
Formidat mortem, præda quieta sedet.
Conservas animas, victum super ipse ministras,
Ne sit vita gravis, subripiente fame.
Nemo cadet sub jure tuo, sub morte cruenta,
Scit, se victurum qui volet esse tuus.

Turba rebellantum quoties juravit in armis,
Vinceret, aut certe præda fuisset iners.
Securus sine morte manus a hostibus hostis,
Nam bene conservas colla subacta jugo.
Sic leo terribile fremit hortans ore cruento,
Unguibus excussis, dente minante neces:
Acrius iratus crispato lumine ferri,
Et mora si fuerit, acrius inde furit.
At si venator trepidans venabula ponat,
Territus et jaceat, mox perit ira cadens.
Temnit prædo cibos, quos non facit ipse cadaver,
Ac ferus ignoscit, ceu satis accipiat.
Et dat prostrato veniam sine vulnere victo,
Ore verecundo dejiciens oculos.
Sic tua, regnator, non impia frangitur ira,
Cum confessus erit crimina gesta reus.
Ignoscendo pius nobis imitare Tonantem,
Qui indulget culpis, et veniam tribuit.
Principis imperium simile est, ac regna polorum,
Ut canit ad populos pagina sancta Dei:
Sacrilegis referens cœlestia ira catervis,
Cinctus apostolica discipulante manu.
Nonne Dei præcepta jubent, ne sol cadat intrans,
Irascente alio, sed pius esset homo?
Rex inimicorum populis mucrone pepercit
David, et hic [illegible]ocris adulter inest.
Confessus faci[illegible]ro c[illegible]tur,
Noxius im[illegible]
Insuper et [illegible]em [illegible],

Quæ scelus [illegible]
Non fit Abessa[illegible]
Sed sceleris [illegible]
Ecce, quid [illegible]
Ut sibi regna [illegible]
Ipse inimicorum [illegible]
Dum peteret [illegible]
Exstitit hic [illegible]
Pacificusque [illegible]
Stephanus, [illegible]
Hostibus [illegible]
Hæc bona [illegible]
Vir sine [illegible]
Cæsar ubique [illegible]
Et quod erat [illegible]
Sponte [illegible]
Inde vocatus [illegible]
Cujus ab imperio [illegible]
Augustus [illegible]
Tempore namque [illegible]
Cujus et [illegible]
Dux princeps [illegible]
Si non [illegible]
Perdidimus [illegible]
Non [illegible]
Alter ait [illegible]
Commodus [illegible]
Nobile præceptum, [illegible]
Sit bonus in [illegible]

Turba rebellantum quoties duravit in armis,
Vinceret, aut certe præda fuisset iners.
Securus sine morte manus dat hostibus hostis,
Nam bene conservas colla subacta jugo.
Sic leo terribile fremit horridus ore cruento,
Unguibus excussis, dente minante neces:
Acrius iratus crispato lumine ferri,
Et mora si fuerit, acrius inde furit.
At si venator trepidans venabula ponat,
Territus et jaceat, mox perit ira cadens.
Temnit prædo cibos, quos non facit ipse cadaver,
Ac ferus ignoscit, ceu satis accipiat.
Et dat prostrato veniam sine vulnere victo,
Ore verecundo dejiciens oculos.
Sic tua, regnator, non impia frangitur ira,
Cum confessus erit crimina gesta reus.
Ignoscendo pius nobis imitare Tonantem,
Qui indulget culpis, et veniam tribuit.
Principis imperium simile est, ac regna polorum,
Ut canit ad populos pagina sancta Dei:
Sacrilegis referens cœlestia jura catervis,
Cinctus apostolica discipulante manu.
Nonne Dei præcepta jubent, ne sol cadat intrans,
Irascente alio, sed pius exstet homo?
Rex inimicorum populis mucrone pepercit
David, et hic sceleris certus adulter inest.
Confessus facinus, veniam pro clade meretur,
Noxius impune, vel sine morte reus.
Insuper et Salomon eadem muliere creatus,

Quæ scelus admisit, munus honoris habet.
Non fit Abessalon hæres de conjuge natus,
Sed sceleris fructus sceptra paterna tenet.
Ecce, quid impendit patris clementia parcens,
Ut sibi regna daret, ut daret et soboli.
Ipse inimicorum Salomon non colla poposcit,
Dum peteret Dominum, sed sapientis opem.
Exstitit hic prudens, quia noluit esse cruentus,
Pacificusque fuit, consiliique tenax.
Stephanus, ante alios lapidum sub grandine martyr,
Hostibus orabat sponte suis veniam.
Hæc bona simplicitas præstat jejuna cruoris,
Vir sine morte furens nil habet ipse necis.
Cæsar ubique potens hosti post bella pepercit,
Et quod erat pejus, civis et hostis erat.
Sponte facultatem redhibens reparavit honores,
Inde vocatus abit dignus honore Dei.
Cujus ab imperio surgens et origine Cæsar
Augustus meruit tempus habere pium.
Tempore namque eodem est natus de virgine Christus,
Cujus et emicuit stella per astra poli.
Dux princeps romanus erat de principe Titus,
Si non præstaret, dicere sæpe solens;
Perdidimus hac luce diem, si nulla dedisset
Non exoratus præstita supplicibus.
Alter ait princeps modico sermone probatus
Commodus Augustus, vir pietate bonus:
Nobile præceptum, rectores, discite, post me,
Sit bonus in vita, qui volet esse Deus.

Ecce, quid impendit homini clementia simplex,
Ut præstet bona dans, conferat atque animæ.
Ne facias populum mendacem, qui tibi clamat
Vocibus innumeris, Rex dominusque pius.
Ut vox vera sonet Dominus, sic vera Pius sit:
Orbis in ore volat publica merx procerum.
Fama ducum merx est bellis collecta cruentis,
Ex quibus occurrit sæpe reatus atrox.
Gloria bellorum ducibus, populisque; triumphos
In commune datos dividit Armipotens.
Nam ducibus solis præstat clementia laudem,
Non habet hæc comitem, participemque negat.
Dicit, In arma pares fuimus cum principe, miles:
Me pugnante, comes, victor ab hoste redis.
Nunquid ut ignoscat rector, pars militis instat?
Soli, qui ignoscit, gloria laudis erit.
Qui fovet adversus hostes certamina martis
Horrida concurrens, vincit in arma fremens.
Rex, qui dat veniam subjecto, et temperat iras,
Plus quam turba, facit, qui sua corda domat.
Te Deus aspiciens effundere nolle cruorem,
Ut sine peccato, non sine laude daret,
Contulit absenti terræ, pelagique triumphos:
Ansila testatur, Maurus ubique jacet.
Quod pereunt hostes, regis fortuna vocatur,
Quod pereunt populi, temporis ordo regit.
Nam si debilitas faceret, discurrere mortes,
Non caderent pueri, aut femina sexus iners.
Omnia tempus agit, cum tempore cuncta trahuntur,

Tempora eunt vitæ, tempora mortis eunt.
Sex sunt ætates hominum procul usque senectam,
Hæ distincta tenent tempora quæque sua.
Nunquid adultorum strepitus infantia simplex
Vindicat, aut fremitus pigra senectus habet?
Non catulaster agit puerilia, non puer audet
Attrectare tener martia tela manu.
Non furit in venerem nondum pubentibus annis,
Nec sub flore genæ marcidus est juvenis.
Maturus tractat, gemit et tremebunda senectus,
Nescia fervoris, vel levitatis inops.
Nunquid mox natas segetes viror armat aristis,
Floribus aut genitis fructus inest subito?
Novimus, astra poli confectos perdere cursus,
Transactasque simul sic repetisse vias.
Tempore luna suo crescit, vel deficit orbe,
Cujus ad ætatem plurima lege notant.
Nam, luna crescente, fretum crementa resumit,
Qua minuente polis, est minor unda maris.
Cynthia dum crescit, fontes, et flumina crescunt,
Hæc eadem minuunt, Cynthia dum minuit.
Ipsa medulla latens observat cornua lunæ,
Observant lunæ tecta cerebra globos.
Sol, oculus cœli, radians fuscatur ab umbra,
Et tamen ad solitas itque, reditque plagas.
Ac recipit facies priscas, lucesque resumit:
Damna, vel augmentum dant elementa, ferunt.
Alternant elementa vices, et tempora mutant,
Tempus habent noctes, tempus et ipse dies.

Accipiunt augmenta dies, noctesque vicissim,
Amittunt cursus perpete lege poli.
Tempora sunt florum, retinet sua tempora messis,
Tempus et autumnum, tempus habet hiemes.
Ver, æstas, autumnus, hiems, redit annus in annum,
Quatuor alternant tempora temporibus.
Omnia cum redeant, homini sua non redit ætas,
Sed velut acris avis, sic fugitiva volat.
Tempora sunt pacis, vel tempora certa cruoris,
Otia tempus habent, militiæque labor.
Tempora gaudendi, sunt tempora certa dolendi,
Tempora dant lucrum, tempora damna ferunt.
Nubila tempus habent, et tempora certa serenum:
Tempora servare jussit et ipse Deus.
Horam quæsivit faciens miracula Christus,
Horam speravit passio sancta crucis.
Cur irascaris mihi, cur sic dignior ira
Tam magni regis judicer esse tua?
Quando per ætherias aquila volitante rapinas
Præda, cibusque fuit passer, hirundo, picus?
Quando fames rabidi quamvis jejuna leonis,
Ut sit, adoptavit, faucibus esca lepus?
Devorat egregios ingenti corpore tauros,
Et rapiunt aquilæ nebrida membra pedes.
Dat semel iratus veniam post vulnera pardus,
Nec reduces morsus dat feritate pia.
Despicit irasci pastoribus optima tigris,
Despicit et talpas flammeus ore draco.
Fulmina non feriunt reptantia gramina terris,

Nec modicas salices flamma trisulca cremat.
Sed feriunt celsas pulsantes nubila cedros,
Et montes vastos, proxima saxa polo.
Sontes peccantes tantum sua culpa fatigat,
Ecce etiam insontes noxia pœna petit.
Si ipse ego peccavi, quænam est, rogo, culpa meorum,
Quos simul exagitat frigus, inopsque fames?
Diluvio periere rei sine clade piorum,
Loth bonus, et justus tollitur ex Sodomis.
Si non humani generis peccata fuissent,
Unde pium nomen posset habere Deus?
Sed quia dat veniam populis, peccata relaxans,
Per pietatis opus nomen habet placidum.
Si veniam frater fratri donare jubetur,
Quid rex subjectis, et Dominus famulis?
Si justis solem Dominus, pluviasque dedisset,
Nec daret injustis, quæ fuerat pietas?
Non quærit veniam, qui nil peccasse probatur,
Nonne manus medici languida membra petunt?
Materiem laudis præbet tibi culpa reorum,
Et titulos famæ dat pietatis opus.
Inclytus armipotens, vestræ pietatis origo,
Et doctus, genio pronior ad veniam,
Non homini ignosco, dixit, sed lingua meretur:
Hic reus, et doctus Vincomalus fuerat.
Non lædunt delicta Deum, sed læditur auctor,
Ni peccata dolens pœniteat sceleris.
Qui poscit hac lege Deum, ut peccata relaxet,
Debet et ipse suo parcere ubique reo.

Non semel ignosci dixit lex sancta reatum,
  Sed quoties culpa est, sit toties venia.
Dicam regnanti Domino pia verba prophetæ :
  Etsi peccavi, sum tamen ipse tuus.
Da veniam, miserere, precor, succurre roganti;
  Pristina sufficiant verbera, vincla, fames.
Sessorem, dum carpit iter, si cornea pulsans
  Ungula concutiat quadrupedantis equi,
Verbere corrigitur culpa, plectente flagello,
  Non simul abscissi crura, pedesque jacent.

FINIS.

INDEX AUCTORUM.